TRACTATUS VARII
De
PULICIBUS,
Quorum Primus exhibet
Diſſertationem Juridicam
Opizii Jocoſerii
De eo, quod juſtum eſt, circa Spiritus familiares Fœminarum,
Hoc eſt
PULICES,
Item Appendix continens varias quæſtiones Miſcellaneas de hoc Spiritu volatili.
Secundus
Laudem & defenſionem Pulicum, ex Maſenii Exercitat. Oratoriis deſumptam.
Tertius
Vituperium & Damnationem illorum ejusdem Autoris.
Et Quartus
Flochiam Greiffoldi Knickknakkii ex Floilandia Cortum Verſicale de Flois, Schwambus illis Thiericulis, quæ omnes fere Menſchos, Mannos, Weibras, Jungfras, &c. Behupffere, & Spitzibus Schnabilis ſtesthere & beiſſere ſolent.
Utopiæ Literis Alphabeticis.

felix Oſele



ECce Tibi, benevole Lector! materiam de Pulicibus Quæſtionibus Theoretico-Practicis rarioribus adornatam, variis variorum Dicaſteriorum Præjudiciis auctam, rationibus tam dubitandi, quàm decidendi amplificatam, facultatum celeberrimarum reſponſis ſolidiſſimis firmatam, & ex principiis tam juridicis,

quàm Moralibus depromptam, lectu jucundiſſimam, quam æqui bonique conſulere ne dedigneris, & Compilatori favere pergas, qui curioſas ejusmodi materias in poſterum (ſi hæc ad palatum fuerit) in Lucem edere haud intermittet.

OPI-

OPIZII JOCOSERII

DISSERTATIO POLITICA

De eo, quod juſtum eſt circa Spiritus familiares Fœminarum.

Hoc eſt

PULICES.

Opizius Jocoſerius

PRISCILLÆ CAPITONI

Virgini Chariſſimæ

S. P. D.

ETſi noctuas Athenas, *juxta illud tritum, ferre videar, qui, præſertim menſe* Auguſto, Pulicum *ſemper auctore;* Pulicem *Tibi offerre audeo; nihil tamen de Tua facilitate mihi metuo, cui (credo) copia divitiarum Tuarum inopiam favoris non pariet; hac ſpe freto, quod magis quisquàm quid, donet, huſpicies. Et, quem dono,* Pulex *eo gratior erit, quò certius eſt, eum multis paraſangis reliquorum natura abire. Nec enim mordebit, ſed delectabit & titillabit: inde & dignus eſt, qui mitiore fruatur fato, quàm reliqui Tui, qui plus fellis, quàm mellis habent, ut adeo non meæ preces, ſed Tuus & materiæ genius, etiam ſine*

Curionè, ad hoſpitalia tecta Tua aditum ei haud dubiè paraturus ſit. Sed ſatis mihi præſtas, ſi nugas meas legis: Itaque adjecto epiſtolio moleſtus magis quàm officioſus eſſe nolo: Vale!

Candidior folio nivei Priſcilla *liguſtri,*
Floridior prato: longa procerior alno.
Splendidior vitro, tenero laſcivior hædo
Levior aſſiduo detritis æquore conchis
Solibus hybernis, æſtiva gratior umbra,
Nobilior pomis, platana conſpectior altâ,
Lucidior glacie, maturâ dulcior uvâ.
Mollior & cygni plumis & lacte coacto,
Et ſi non fugias, riguo formoſior horto.

LECTORI

LECTORI AMICO SALUTEM.

ADmirandum Tibi, Lector benevole, rem exhibere animus eſt, hac tamen lege, ut venerabile frontis Catonianæ ſupercilium aliquantiſper in mare Creticum deportes, ne tribunal nobis Rhadamantheum, & ut ſeveri illius judicis *Scopulus fiat rei.* Quid ergo, inquis, ex Africa monſtri habes? an Gigantem Deorum quondam oppugnatorem audaciſſimum? vel Pythonem novum? aut Draconem horrendum, Cadmi olim prædam? Actæonemve cornutum? An forte, ut Scriptor ille Cyclicus apud Flaccum:

Fortunam Priami cantat & nobile bellum?
Antiphaten Scyllamque & cum Cyclope Charibdim?

Vel quæ aliàs ſpecioſa miracula promis? num phœnicem habes, quin genteſimi cujuslibet anni (ſi ſtupendo ſapientiæ humanæ miraculo, *Senecæ* Epiſt. 42. credimus) partum? An potius?

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus?

Imò verò rem acu tetigiſti! Vilior eſt mure res, & vel S. Scripturæ *1. Samuel 24. 15.* phraſi, viliſſima: *PULICEM*, Spiritum familiarem ſexus fœminei Tibi offerimus, ſub incude Juridica vapulantem, & cultro non Medicorum, ſed Juriſconſultorum anatomicè diſſectum, jucundo, ni fallor, ſpectaculo, & æquè ridiculo, ac ſi alaudam, vel *Regulum*, aliquot bonum curru vectum videas, quod genus eſt ſervitii cujusdam feudalis in Franconia, juxta *Speidel in Notab. voce* Lehendienſt/ Hoſpitem ergo non multi cibi, ſed multi joci deſideramus: Veni, quisquis es, benevole Lector, ad dapes & cramben, non quidem bis coctam, (nec enim noſtrum

noſtrum eſt, ut Cornicula Horatiana ſolebat, alienis non plumis ornatos deridendos aliis propinare, & contra Leg. XII. Tabb. alienam ſegetem in noſtrum agrum *pellicere.*) ſed tamen nullo conquiſitarum phraſium pipere, aut ſententiarum zingibere, tantum aliquo facetiarum ſale conditam: ita quidem, ut jocando ſervetur τὸ πρέπον. Ridentem dicere verum quis vetat? aut urbanitatem vitata ſcurrilitatis Charybdi & exceſſus Scylla vitaperabit; niſi forte auſterus Cato, è quo quis citius ignem, quàm riſum excutiat, & qui, ſociatâ ſtultitiæ ſuperbiâ, audito joco, juxta illud Mantuani: *1. Sylv.*

Sic furit, ut ſpumis ex ore cadentibus atrox
Fulmineus quoties dente minatur aper.
Sic fremit, ut frendens, cum ferrea vincula mandit
Cerberus & ſtygias murmure turbat aquas.

Arcum non ſemper tendere Apollinem, trivialí proverbio admonemur, ne ſemper ſeverioris diſciplinæ Muſas colamus. Inter ſe, ex dictamine Senecæ *Epiſt. 3 ita miſcenda ſunt, & agenti quieſcendum, & quieſcenti agendum, prout natura diem & noctem ſe faciſſe clamat.* Nec nos ordinis noſtri teſſeram abjicimus, aut Siſypheum Spartæ nobis mandatæ ſaxum, muſco obduci ſtatim patimur, ubi honeſto nos otio, vel potius negotio delectamus, & ſic triſtitiam Fortunæ inclementioris ſagittas ſecutam quaſi exorcizamus. Talia agimus cum nihil agere aut poſſumus aut volumus. Ut ſic præpoſteras improbo naſo excubias agentes mortales, quos roris tinea comeſt, & invidiæ rubigo rodit, tela ſua venenata in nos figere jure non poſſint. Tuus ergo, B. L. candor pro clypeo & muro aheneo erit contra iſtius furfuris homines, Theonino cunctos dente ferire doctos. Habeas hanc exigui & fere extemporanei laboris fœturam, non niſi meliori-

tis obſidem & ſponſorem. Defendas nos umbo celeberrimorum virorum, ſimilia jocoſa ita auſorum, ut ab æquis rerum æſtimatoribus in Cærites ceras relati non fuerint. Nota illa Senec. *de Tranq. Anim. c. 15. v. 5. Miſcenda tamen iſta & alternanda ſunt.* Et paulo poſt: *Nec in eadem mentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad jocos revocanda.* Interdum & Socratem in arundine longa equitantem videre licet: & graviſſimus *Seneca Epiſt. 106.* latrunculis ludit, aut in ſupervacuis ſubtilitatem terit. Teſtor Apocolocynthoſin Claudii Cæſaris, eo Auctore editam, unde patuit omnium horarum hominem tantum valuiſſe in jocis, quantum in ſeriis. Achillis gloriam, ut tali pugna non feramus, certe Ajacis nos manet. Aliquod, ſi non omne fert punctum, qui miſcet utile dulci. Forte niſi ita peccaremus, gravius peccaremus prout alii, qui *ferias curarum laxamenta curarum, alea, luxu, venere, aliisque vitiorum contentionibus ſup-*

plere assolent : juxta illud Plinii in Paneg.

Sed apud bonum virum, bonam causam habebimus, apud malum ne quidem agemus : ut ait *Seneca lib. 4. de Benef. cap. 4.* Itaque ne prologus prolixior sit fabula, manum de tabula tollimus; præsertim cum, nescio quis, Cynthius aurem vellens moneret ex Plinio Juniore, *lib. 4. Epist. Longiore præfatione ineptias vel excusare vel commendare ineptissimum esse.* Vale, Lector benevole, & si quem Zoilum vel Sciolum offendes, meo nomine salutatum Anticyras mitte, ut ibi bibat *purgantem pectora succum.*

PROLOGUS.

AD præscriptum l. 25. verb. *Rogo plenius, quæ ad hæc spectant, attingas, quotidiana enim sunt ff. de lib. leg.* de materia quotidiana, scilicet *Pulicibus*, animalculis ita notis:

Notior ut jam sit canibus non Delia nostris,

Actu-

Acturus, ut cuncta fiant ordinè & decenter: vocis vim primum explicabo, & ab hoc rivulo ad mare materiæ ampliſſimum navigium & vela vertam, cum JCtis ſummus & prior ſemper circa verba labor fuerit, teſte Quintil. *Inſt. Orat. lib. V. cap. ult.* adeò, ut Auctore Gellio *Noct. Att. lib. XIII. cap. 10.* Antiſtius Labeo, (celeberrimus ille JCtus: *v. l. 2. ff. de orig. juris*) qui latinarum vocum origines & rationes exactè percalluit, eâ præcipuè ſcientiâ, ad enodandos plerosqûe juris laqueos ſit uſus: cui rei gemina in aliis JCtis ipſoque Juſtiniano noſtro ſacratiſſimo deprehendes.

Quæſtio ergo prima ſit:
Unde *Pulex* dicatur?

Quæſtio I.

Et licet adhuc, more ſuo, velut Proculus & Sabinus, certent Grammatici; communis tamen opinio eſt, quod dictus ſit à Græca voce πύλλ

πύλλος originem trahente à verbo ψύλλος sive ψύλλα *pulex*, quæ ratio originis adeò induxit Cælium Calcagninum, ut non *Pulex* sed *Pullex* scribendum, dictatoriè, contra omnium Criticorum vota præscribat; Nos Palæmonis vices aliis relinquemus, nec malè judicando litem nostram faciemus, *l. 6. ff. de extraord. cognit.* Alii *à pulvere* Pulicem nominatum putant, cum *pulvis* sit alimentum *Pulicis*, prout hujus sententiæ est *Isidorus*; vel melius, (quo & alludunt verba venusti carminis notissimi:

Angla, Floosque canam, qui was sunt pulvere swarto.)

quia ex *pulvere* nascitur Pulex: delicatiores enim sunt Domini Pulices, quàm ut *pulvere* sint contenti, cum quotidie deliciis & sanguine virgineo, uti fruique soleant, nisi forte *pulverem* comedere eo tempore, quo homines glandibus vescerentur, prout *ad l. 236. §. 1. ff. de verb. sign.* notare solent Nostri, quorum omnium instar

inſtar Wiſſenbachius eſſe poteſt ad partes vocans tres Poëtas, hoc eſt, teſtes omni exceptione majores, Auſonium videlicet, Tibullum & Ovidium. Ne verò, in convivio hoc fabuloſo ἀσύμβολος ſim, & mea oracula ego fundam, dixerim, quod *Pulex* dictus ſit vel à *puella* & *lex* (wornach die Jungfern die Finger zu lecken pflegen) vel à voce *mulier*, : ita ſcilicet, ut *mu*, mutetur in *pu* : abjiciatur *li*, & loco *er* addatur *lex*, unde præciſè fiet *Pulex*, ſimili derivatione, quâ, teſte Philandro von Sittenwald / Benjamin à verbo *Volo* deſcendit. Et hoc ante me nemo obſervavit ; ceu quondam apud Dn. Schippium jactabat Magiſtellus quidam ; qui in ſcribendo gloſſas ad Calepinum ; in voce *refrigerium*, loco verbi Kühlung / quod apud Germanos *refrigerium*, ſed in duas voces diviſum ſignificat die Lunge von einer Kuhe / ſubſtituendum potius ajebat Ochſen-Lung / ob ſexus maſculini prærogativam.

Qua-

Quæſtio II.

Cujus ergo generis ſit *Pulex?*

Et quamvis Grammatici ſummi, infimi, medioxumi ad unum omnes *Pulicem* generi Maſculino adſcribant, nulli tamen dubitamus ab iis divortium facere; cum quotidiana illa magiſtra experientia vel lippis atque tonſoribus notum ſit; *Pulices* eſſe generis fœminini: Dann dergleichen Thierlein halten ſehr viel von den Weibs-Perſonen / und bleiben durchgehends gerne bey dieſen Leuten / weil ſie daſelbſt nicht allein ihr Eſſen / ſondern auch ihr Getränck finden; dannenhero ſie keinen andern Brunnen ſuchen dürffen. Ad minimum hoc erit à Grammaticis concedendum, *Pulicem* eſſe generis communis, cum per communicationem ſint etiam generis maſculini. Quidquid ſit, loquamur cum vulgo, ne examen Grammaticorum infeſtas aquilas, junctis umbonibus nobis inferat, quod illi accidere videmus, qui ſe ad aurem auramque

amá; eorum non examuſſim com-
onit; & in patrios Divi Priſciani
ineres mingere auſus fuerit?

Quæſtio III.

Jnde vero deſcendat vox Germa-
nica Floey quæri poſſet?

Reſpondemus ſine hæſitantia; vo-
em illam à pernicitate, *Pulicum* pro-
rio quarti modi, dictam in aprico
ſſe: Ein Floh/ weil er gleichſam fliegt.
)uam derivationem mire confir-
iat ænigma Poëticum, nuper à for-
noſiſſima virgine H. N. nobis pro
bſidio charitativo communicatum,
: ſonans:

y lieber! rathe was iſt dieß:
s ſticht doch ohne einen Spieß/
Es fliegt im Finſtern und im Licht/
Und hat doch keine Flügel nicht/
s kennet weder Sand noch Erd/
s beißt ohn Zähn / doch mit Be-
ſchwerd/
Bey Mägden iſt es gern / und ihnen
gantz gemein/

Vier

Vier Füßlein hat es nicht/ noch eins/
noch auch zwey Bein/
Und iſt doch wohl verſehn. Es geht
in Schwartz gekleidt/
Weil ſeine Eltern ſind getödt mit
Grauſamkeit.

Reſp. Ein Floh.

Et hoc ipſum eſt, quod intendit venuſtus prælaudati carminis de Vlojis Auctor, cum ſic modulatur:

-- Qui poſſunt huppere longè,
Non aliter, quàm ſi Vleuglos Natura dediſſet.

Quamvis, quod obiter adjicimus, ſexus fœmininus antidota ſua contra illam pernicitatem habeat: Sie können die Flöhe gleichwol erhaſchen. Adeò ut omne ingenium puellarum in digitos abiiſſe videatur. Unde communis Dd. concluſio eſt, quod is, qui pulicem quàm promptiſſimè capere nequit, per præſumptionem hominis & juris putetur ſexûs non fœminini, ſed maſculini eſſe, adeò ut contra eum ad inquiſitionem poſſit pro-

procedi: prout ita in Monaſterio quodam virgineo S. deciſum memini, ubi Titius ſe coquam mentitus erat. Nec fefellit augurium; Sellæ enim Epiſcopali impoſitus fuit, quo facto omnes Veſtales clamabant: *Peſſimus habet.* Itaque protinus cœnobio ejectus fuit, quamvis per majora vota Virginum Sacrarum fuiſſe nimium clementi urnâ abſolutus. Et hoc obſervandum, cum in praxi frequenter accidat.

Quæſtio IV.

An *Pulices* jure civili teneantur?

Hæc de vocibus delibâſſe ſufficiat; *Nunc teritur noſtris area major equis?* Cum ad rem ipſam ſit progrediendum: ubi ardua & Sabbathina quæſtio in ipſo limine ſeſe offert, anne *Pulex* Juri civili Romano ſit ſubjectus? Et videbatur prima fronte dicendum, quod non; tum quod nullum exſtet SCtum, quo pulicum Respublica illud jus adoptavit; ſicut in Germania id reperitur; per allegata

gata Struvii, *ex. 2. th. 35.* tum quia *Pulices*, ut à nullis populis, ſic nec à Romanis, utut potentiſſimis, ſunt victi aut ſubjugati; quo argumento utitur Gallus JCtus, Carolus Molinæus *Comment in Conſv. Pariſ. Tit. 1. gloſſ. 5. num. 110.* ubi ſic fatur: *E Jure Romano mutuamur, quod & æquitati conſonum, & negotio, quo de agitur, aptum congruumque inveniatur, non quod unquam fuerimus ſubditi magno Juſtiniano aut ſucceſſoribus ejus, ſed quia jus, illo Auctore, à ſapientiſſimis viris ordinatum tam eſt æquum.* Sed me arbitro, magiſtraliter erit diſtinguendum: Nam in illis locis, ubi jus Romanum è Majeſtate eſt receptum, omninò juxta illud *Pulices* ibi judicandi ſunt. Primò cum omnis anima ſubjecta eſſe debeat poteſtati Principis, *Rom. 13.* Secundò, quia regulariter *Pulex*, ut acceſſorium ſequitur ſuum principale ſcil. hominem, quoad forum, & jus in eo obtinens: *arg. l. 1. §. 12. & 14. ff. ſi quadr. paup. fec.* Tertiò facit huc diſpoſitio legum, quod fi arietes

etes vel boves inter ſe commiſiſ-
:nt; ſi alter alterum occidiſſet, ſi-
uide is periiſſet, qui aggreſſor
rat, ceſſet actio, quia alter concita-
us, & quaſi defenſionis jure dam-
um dedit: ſin verò is, qui non
rovocavit, occiſus læſusve eſſet,
ompetat actio *l. 1. §. 11. ff. d. t.* ad-
e Grotium de *J. B. & P. l. 2.*
ap. 3. Unde apparet & animalia
uxta jura Rom. judicari. Quo ipſo
de *Pulice* Vaſallæ conſtat, eum diſpo-
ſitioni feudali ſtare & cadere, ſicut
Pulex monialis Jure Canonico te-
netur.

Quæſtio V.

Inde ergò 5. quæritur, anne *Pulex*
virginis vel viduæ fruatur foro mi-
ſerabilium perſonarum, ex *l. un. C.*
quand. Imper. Et dico, quod ita, cum
forum illud ſit privilegiatum: At-
que tali foro & domeſticus privile-
giati fruitur, prout de famulo & do-
meſtico Cardinalis & Legati tradit
Bonacoſſ. de Famulis, *Quæſt. 12. &*
35. de

35. de famulo Studioſi : *Idem Qu. 43. & 52.* Limnæ de Jur. Pub. *lib. 1. cap. 15. num. 13.* De foro *Pulicis* Auguſtæ ſeu Imperatricis collige ex *lib. 31. ff. de legibus.* enucleata à Struvio *ex 2. th. 11.* Dum de *Pulice* Auguſtæ ſcribo, incidit epigramma Oweni, de pediculo Aulico; ita ſonans :

Blandus adulator per totam curſitat aulam,
Principis inprimis nobiliumque ſores,
A pedibus ſic nomen habens mala beſtia totum
Infeſtat corpus, præcipueque caput.

An autem pulex monialis in criminalibus apud judicem ſæcularem, an Eccleſiaſticum debeat conveniri, dijudicandum erit ex Chaſſanæo *infra Quaſt. 46.* citando, ubi ſimilem tractat caſum. Certè quia, ſaltem ex conſuetudine univerſali, pœna eſt corporalis, Clerico judici per omnia vix locus erit. Vide *c. Ad fi 4. X. de judic. et. t. 1. X. de foro comp.* Carpz. Pr. Crim. 3. *quaſt. 110. num. 12. & ſeq.*

ſeq. Sed hac de re plura vide *ſeq. quaſt. 36.*

Quaſtio VI.

Hac occaſione quæri poſſet: Anne ergo *Pulex* fœminæ nobilioris ſit nobilior & melioris conditionis, quam *Pulex* plebejæ? Affirmamus ſine hæſitatione, 1. quia praxis ita ſervat, daß des Schultzen ſeine Kühe vor andern den Vorzug haben. 2. Idem de domeſticis nobilium tradit Bohacoff. *qu. 32.* Et ut is, qui melioribus & honeſtioribus præeſt, melior ac dignior cenſetur: Sic ex diverſo, qui ſublimioribus Principibus ſubditi ſunt, honoratiores ſunt iis, qui ſubſunt Principibus non ita ſublimibus. Nicol. Boer *in Tr. de Auctor. magni conſilii in princ. addit. magn. numer. 11. verſ. Hoc adjecto*; quod elegantèr extendit & exemplis illuſtrat Fern. Vaſq. Illuſtr. Contr. *part. 1. lib. 1. in præfat. num. 26. &c.* Adde, quod Bucephalus, teſte Curtio, neminem quam Alexandrum ſeſſorem admi-

rebat. Et ex Esthræ libro, *cap. 6. v. 8.* clarum est, equum regis aliis honestiorem esse. His consequens est, daß / wann etwa ein schlechter einem vornehmen Floh begegnet / jener diesem den Vorzug lasse/ und selbst seine Reverentz bezeige / um ihme aus dem Wege zu hüpffen/ und sein Hütlein abzuziehen. Alias enim injuriarium convenietur. *Gali. 1. O. 21. num. 21. Rice de-cis. Neap. 112.*

Quæstio VII.

Sed quid ergo : anne pulex plebejus Senatorium sibi matrimonio seu contubernio possit jungere ? Quod, ut jure veteri negandum fuit, sic jure novissimo illud jus vetus una cum lance & licio evanuit. *l. 23. C. de rit. nupt. Nov. 51. 78. ca. 4. N. 89. 6. ult. N. 117. c. 6. adde* Carpzov. Jpr. Conf. *lib. 2. def. 10. & 11.* quo ipso constat non amplius quæstionem agitari debere, utrum *Pulex* etiam is dicendus sit senatorius, qui ante adeptam dignitatem Senatoriam adfuit:

qua in re aliàs collidunt. *l. 4. ff. de Senat. l. 9. §. 14. ff. de pœn. l. 2. §. 2. ff. de decur.* cum *l. ult. C. de decur. l. 11. C. de dignit.* vide Pacium *Enant. cent. 1. quæſt. 59.* Wiſſenb. *tit. de Senator. th. 1.*

Quæſtio VIII.

Ulterius dubitari poſſet, anne *Pulex* excommunicatæ pro excommunicato ſit habendus; ideo quia communicat cum ea? Quod rectè negatur, ſicut in ſimili conſtitutum legimus, ut quod ſervus vel ancilla aliique domeſtici participantes cum Domino excommunicato, periculum excommunicationis non incurrant. *C. Quoniam multas 10. cauſ. XI qſt. 3.* Bonac de Fam. *qſt. 257.*

Quæſtio IX.

Servam omnia acquirere Domino, ex jure ita notum eſt, ut Soli lumen fœnerarer, ſi allegationes juris adderem. Quæritur ergo, an & *Pulices* acquirat? Quod affirmamus, ſive ſit *Pulex* adventitius, quem jure

§. 3. *Inſt. per quas perſ. nob. acq.* dominus haber; ſive ex ipſa ancilla natus, quem *Pulicem vernam* appellare poſſumus: Et hic, velut partus ancillæ, domini erit. §. 4. *Inſt. de jure perſ.* Facit huc, quod animalia à ſervo acquiſita domini ſtatim fiant, & quoad dominium & quoad poſſeſſionem. *d.* §. 3 Et quod in meo ſolo natum eſt, meum eſt. §. 32. *Inſt. de rer. div.* Quod ſi quis uſumfructum ancillæ habeat, ejus non erunt *Pulices*, nec adventitii; cum ancilla eos non ex re uſufructuarii, nec operis ſuis acquiſierit, ſed velut donatos habeat. §. 4. *Inſt. d. t.* nec vernæ; partus enim ancillæ in fructu non eſſe adjecta ratione ſolida docet Juſtinianus §. *in pecudum* 37. *Inſt. de rer. div. & Jurisconſultus, in l.* 27. *ff. de hæred. petit.*

Quæſtio X.

Huic quæſtioni gemina eſt illa: anne ergo, cum hodie ex univerſali conſuetudine terrarum, communio bono-

bonorum ſit inter conjuges, idem ad *Pulices* uxoris ſit extendendum; ita ut & illi ſint inter acquæſtum numerandi? Quod etiam ſtatuendum, modò illi conſtante matrimonio ſint acquiſiti ab uxore; nam illi, quos intulit ei, ut paraphernalis res, ei ſunt reſtituendi; per jura notiſſima. Atque non eſt, quod aliquis mihi ex *Seneca Ep. 49, dicat: Quid te torques & maceras in iis quæſtionibus, quas ſubtilius eſt contempſiſſe quam ſolviſſe.* Habent enim hæ quæſtiones IX. & X. magnam utilitatem in Utopia, ubi tam rara avis eſt *Pulex*, ut velut ex Africa monſtrum dato precio viſatur. Poteſt in Germania earum uſus eſſe, præſertim Norimbergæ, ubi *Pulices* catenulis vincti venduntur, indeque acquæſtus ſit inter conjuges.

Quæſtio XI.

Quæritur porro: Ab eo, qui te offenſurus erat, cautionem de non offendendo accepiſti, an id etiam de *Pulicibus* accipiendum, adeò, ut com-

missa sit stipulatio, si te invito *Pulicem* tuum occiderit? Annuo, cum talis cautio etiam de familiaribus & domesticis Domini sit intelligenda. Bonacoss. *de Famul. Quæst. 208.* sunt enim pars corporis dominici, *l. 5. C. ad leg. Jul. maj.* Sic contra cautionem actum esse judicavit Senatus, ubi quis inimici canem glande plumbea trajecerat.

Quæstio XII.

An virginem vocans einen Flöh-Sack / einen Flöh-Beutel / &c. injuriarum teneatur, ex facto quæsitum memini. Et videbatur, quod sic, cum is, qui naturale vitium alicui objicit (velut si dicat, tu claude, tu calve) injuriarum rectè conveniatur: Wissenb. *ad ff. tit. de injuriis thes. 13.* Hahn. ad Wes. *eod. tit. num. 13. ad verb. Nisi scripto.* E contra in diversam opinionem quem movere posset, quod Cel. & Col. Dn. Holterman. *Disp. ad L. Aquil. de injuriis*, ex Manzio refert, ubi Studiosus quidam

dam in Virgines alicujus civitatis, hoc carmen fecit:

Die **Bärbel** iſt ungeſtalt/ heßlich und wild/
Das **Kätgen** iſt frey/ und ein rammlendes Bild/
Das **Aennichen** iſt ein nichts-nützes Thier/
Das **Ließgen** iſt niedlich/ tritt ſtoltzlich herfür.
Das **Köſſgen** iſt langſam/ der Faulheit ergeben/
Chriſtinichen führet ein liederlich Leben.

Et tamen injuriarum fuit abſolutus. Verum hæc lis diſtinctionis ſecuri eſt decidenda; an ſcilicet tantum jocandi animo verba ea quis protulerit, quo caſu injuria non præſumitur. *l. 3. §. 3. & l. 15. §. 23. ff. de injur.* Althuſ. in Dicæol. *l. 1. cap. 123. n. 15.* an vero animo injuriandi, qui ex certis circumſtantiis præſumitur. v.g. ſi iratus fuerit proferens. Struv. de Vind. Priv. *cap. 10. aph. 6, num. 3.* Etiamſi tamen talis animus probetur,

tamen ob veritatem injurians mitius videtur puniendus, *arg. 110. in fin. Conſt. Carol.* Carpz. Pr. crim. *p. 2. qu. 98. num. 40. & ſeqq.*

Quæſtio XIII.

Scripſeram hæc cum in celebris Schuppii Lucianum incido, ubi alius de *Pulicibus* quæſtionis mentio fit: Verba ex megiſtrali verſione noſtra ſic ſonant: Cum iſti duo, Reuchlin & Erasmus de Roterdam non volebant fiſtulare, quemadmodum monachi & magiſtri ſcholarum fiſtulaverunt per unum longiſſimum tempus; ibi erat unus Magiſter noſter Ortuinus Gratius, una vetus vulpes ſcholæ, cum ſua appendice omni plane contra iſtos duos, & dicebat: Iſt Latinizatores poſſunt modicum Latinizare, & ideo putant, quod nemo eſt dignus eos aſpicere, neque ſolvere corrigiam calceamenti eorum: Ipſi putant, quod faciunt magna miracula, dicendo groſſa verba. Aſt creditis, quod ſciunt aliquid de

de Biblia? Si daretur ipſis una poſitio, vel de præmiis Sanctorum, vel B. *Utrum Deus ſciat omnes Pulices* & omnes pediculos, qui creantur quotidiè Pariſiis; crederis, quod ipſi poſſint arguere pro & contra? Ego vellem, quod iſti omnes Latinizatores eſſent in profundo inferni, unde nunquam poſſent revenire, & cætera ridicula in ſuperlativo. Cæterum, ut de iſta quæſtione Κύριν adjiciamus, etiam minima curari & conſervari à Deo inde patet, quia capitis quoque noſtri pilos in numerato habet: *Matth. 10. v. 20.* nec paſſerculus de tecto cadit ſine Dei voluntate *verſ. 29.* Sic & corvorum pullis dat *Pſ. 147. v. 9.* & de pediculis videatur *Exod. 8.* Diverſus ab hac opinione Seneca eſt *lib. 2. Nat. Quæſt. cap. 32.* ubi ita ait: *Nimis Deum otioſum & puſillæ rei miniſtrum facis, ſi aliis ſemina, aliis exta diſponit:* quod ſanè in tanto viro dolemus.

Quæstio XIV.

Sequitur quæstio decima quarta: An famulæ seu ancillæ singulis momentis *Pulices* captanti (welche gar zu offt auf die Parthey gehet) ut negligenti, annua merces possit minui, aut ea propterea dimitti? Et omnes æqui æstimatores huic moderamen inculpatæ tutelæ erga *Pulices* concedent. Tum etiam *Pulices* capere est opus Naturæ fœminarum, cui omninò ignoscendum, *arg. l. 22. C. qui test. fac. poss.* Adde quod ob morbum ancilla domo expelli non possit. *l. 4. §. 5. ff. de stat. lib. 27. ff. locati.* at *Pulices* captare, est quasi morbus naturalis. Denique necessitatem omnia prædicamenta & prædicabilia, legesque transcendere notum est.

Quæstio XV.

Quid si ad *Pulicem* (v. g. circa collum) capiendum famulam advocet hera, illa verò eum non capiat, an colapho puniri possit? Et quia, ex causa, domina moderatè potest castigare ancil-

ancillam, Alex. *conſ. 75. vol. 3.* hic autem latam culpam (quæ dolo æquiparatur) committit venatrix, dum id non facit, quod omnes ejus conditionis homines facere poſſunt, *l. 223. ff. de V. S.* omninò quæſtionis affirmativam defendimus; eo magis, quia imperitia præſertim tanta, culpæ eſt adſcribenda §. 7. *Inſtit. de leg. Aquil.* vide præc. quæſt. 3.

Quæſtio XVI.

Succedit alia quæſtio. Cepit *Pulicem* Sempronia, eamque prægnantem videt, an eam pœna corporis afflictiva punire poteſt? Nego & pernego, quia calamitas matris non debet noceri ei, qui in ventre eſt. *l. 18. ff. de ſtat. hom. l. 3. ff. de pœnis.* Adeò ut nec bona conſcientia eam relegare, (v. g. extra feneſtram projiciendo) poſſit, præſertim ſi ſit hyems: per tradita Hahn. ad Weſ. *de ſtat. hom. num. 3. ad verb. Pro natis habentur.*

Quaſtio XVII.

An *Pulex* murum civitatis tranſiliens pœna capitali ſit puniendus; quæſtionis eſt. Annuimus; quia lege non diſtinguente, nec nos diſtinguere debemus. *l. 8. ff. de publ. acti.* at generaliter lex pœnam capitalem crimini tali dictitat, adeò, ut etiam fratrem Remum Romulus propterea occiderit: *l. ult. ff. de rer. div.* Add. Livius atque Florus. Verùm cum caſus hic rarior ſit, eum latius proſequi nolumus, cum non ſint curanda ea, quæ ἐκ παραλόγου accidunt, ſed quæ ὑπὶ τὸ πλεῖστον *leg. 8. ff. de LL.* Et difficillimum erit tale delictum probare, adeò, ut ex communi Dd. opinione decem ſenes cum perſpicillis, & tres Optici cum microſcopio (Belgice reddit Comenius in Januali Lexico een Vlooykyker) ad teſtimonium in hac cauſa criminali, (ubi omnia luce meridiana clariora eſſe debent. *l. ult. C. de probat.*) requirantur.

Quaſtio

Quæſtio XVIII.

Sæpiuſcule fit, ut non ſolùm hominibus (vide Illuſtr. Seckendorff. von dem Teutſchen Fürſten-Staat / *p. 3. regali 8. p. m. 453.* verùm etiam pecudibus capitatio imponatur: Dn. Brunnem. *ad l. 8. C. de SS. Eccl.* & qui in orbem litteratum ficto nomine prodit Relfendſo Heromont, *cap. 10. p. 154.* Unde dubium exſurgere poſſet an capitatione (idem de pedagio exaudias) omnibus animalibus impoſita, præſertim conſenſu ſtatuum provincialium Principatus, id etiam de *Pulicibus* ſit intelligendum? Et hic Davo emunctior Oedipus, in enodanda hac quæſtione ſacra ſua commovens, pro negativa ſententia, tanquam pro aris & focis pugnaret: & nemo, credo, niſi ingenium pituitoſo retuſius habens, & jejuniſſimus judicii in adverſa acie ſtaret. Nec enim mens majeſtatis, capitationem vel pedagium aut vectigali imponentis, nec ſtatuum conſentientium hoc fert. Adjice, quod aliàs mulieres non

eſſent ſolvendo, adeò ut & dotem dare cogerentur, quas tamen ſalvas eſſe Reip. intereſt. *l. 1. ff. ſolus matr.* Et quî gabellatus *Pulices* numerare poterit? difficilius certè, quàm ſtellas cœli, & facilius eſſet cum Ciceronе, è pulvere eruere Archimedeum problema, vel ediſcere Pacuvii Teucrum. Nec hic per averſionem agere (über Halß / über Kopff / unter den Bogen durch) conducibile eſſet, ob varias, quæ inde oriri poſſent fraudes miniſtrorum capitationem accipientium. Illud verò multò magis extra omnem dubitationis ſphæram eſt poſitum, ſi Carſaniæ immunitas, v. g. à pedagio ſit conceſſa, id prout ad famulos & famulas pertinet: Bonacoſſ. *de Famul. Qu. 157.* juncta *quæſt. 199.* ſic & ad *Pulices* referendum.

Quæſtio XIX.

Induſium lotrici lavandum dedit Sempronia, in quo relato veſtigio ſtercoris *Pulicis* apparent an mercedem debeat Sempronia; ex facto conſultus reſpondi, ſalvo aliorum judi-

judicio, quod non; cum lotrix locationis legi non ſatisfecerit, illa enim utpote artifex leviſſimam etiam culpam tenetur præſtare. *l. ſi. merceſ. 25, §. columnam. 7. ff. locati.* & in expediendis iis, quæ ad alios ſpectant, & expedienda ſuſcepit quis, omnem culpam videtur recepiſſe. *l. 21. C. mand. §. 1. in fin. Inſt. de oblig. ex qs. contr.* nihilque magis ei vitanda, quam imperitia. *l. 9. §. pen. l. 13. §, 5. ff. h. t. l. 8. §. 1. ff. ad leg. Aq.* Hoc tamen cum tali grano ſalis accipe, niſi Sempronia ſit complexionis Scorbuticæ; qualium hominum *Pulices* excrementa projiciunt arctiſſimè cohærentia. Itaque ſi rem non rigidi juris lance, ſed æquitatis trutinâ ponderemus, lotricem ad impoſſibile non obligabimus. *l. 185. ff. de reg. jur.* modo tamen lotrix exceptionem ſuam, in qua ſe fundat, legitimè probet. *l. 9. C. de except.* præſertim cum contra eam ſit præſumptio, onus probandi ſecum vehens: *l. 25. ff. de probat. l. 6. ff. de donat. int. vir. & uxor.*

Et

Et hæc deciſio, etiam ad Studioſum (der viel wilde Hembd-Reuter/ oder auch wohl freye Müllers-Flöhe hat) cæteris paribus applicari poteſt.

Quæſtio XX.

Pulcherrimum & in praxi notabilem caſum ex relatione Conſultiſſimi H. audivi. Virgo quædam in Muſeum Caji, neſcio cur, veſtes depoſuerat, quæ, quia in iis tot *Pulices* erant, quot ſyllabæ in Calepino, totum Muſeum compleverant, inde quæſtio exorta, anne depoſiti teneretur virgo? Judex erat prælaudatus Excell. H. Univerſitatis Rector, & res vario Marte acta, donec tandem judiciali ſententia victoria à parte Caji ſtetit. Rationes decidendi haud dubiè hæ fuere, quia ubi ex re depoſita damnum mihi datum, deponens tenetur, per expreſſam *l. 61. §. 5. & 1. ff. de furt. l. 31. verb. fin. ff. de dignor. act.* ſive ſciverit, ſive neſciverit rem eſſe damnificam, *dd. IX. Qu.* Quid verò de veſtibus *Pulicoſis* com-

commodatis dicendum ſit, collige ex *d. l. 61. §. 6. & l. 18. §. 3. ff. comod.* ubi inter ſe digladiantur Dd. utrum dolo æquiparetur lata culpa? Affirmativam defendente Dn. Struvio *ex 19. th. 10. §. Damnam. 2.* (qui ſibi tamen contradicit ead. ex *th. 39.*) contra Præceptoris ſui Hahnii doctrinam ad Weſ. *tit. commod. n. 12.* Ego uſumfructum cuique ſuæ opinionis libenter relinquo; &, ut quondam Imper. Claudius Sueton. *cap. 15.* ſecundum eum ſentio, qui vera propoſuit.

Quæſtio XXI.

Hujus climatis eſt quæſtio: anne ergo ob *Pulicum* multitudinem inquilinus domum vel Muſeum conductum poſſit impunè deſerere? Affirmativè patrocinamur, & quidem favente Themide, prout apparet ex *l. 27. §. 1. verb. ſi cauſa fuiſſet ff. locati.* modò tanta ſit multitudo, ut ei reſiſti nequeat; *l. 15. §. 2. verb. Servius omnem vim, cui reſiſti non poteſt, dominum*

num colono praſtare debere ait ff. eod. & ſic uſus rei impediatur ; *d. §. 2. in fin.* Poſſet & in ſubſidium cauſæ allegari *l. 33. in fin. & l. 34. ff. locati.* ubi ſCti docent ob hoſtium incurſum, vel prædonum aut latronum malitiam licitè deſeri fundum. At qui potiores ſunt hoſtes & latrones, quam *Pulices,* ? adeò ut non malè illa ex Virgilio quæratur ſexus fœmininus:

-- Una cum gente tot annos
Bella gero - - - -

Limitatio tamen aſteriſco digna eſt, ſi imperitia inquilini, beſtiolæ in tantum numerum creverint, tunc enim non ſolum ſine ſoluta penſione emigrare non poteſt. *arg. l. 25. §. 3. & 4. ff. loc.* ſed & ante finitum locationis tempus expelli poteſt. *arg. l. 3. verb. finalibus C. eod.* Ita quoque ſi per veneficium *Pulices* in domum ſint coacti inimicitia habitantis, penſio haud remittitur. *arg. d. §. 4. & l. 66. pr. ff. ſolut. matr.* modo inimicitiæ cauſam dederit inquilinus ; *l. 19.*

ff. com-

ff. commod. quamvis alii ſuſſulti, *l. 41. ff. locat.* hoc non eſſe neceſſarium, ſtatuant, prout hunc juris articulum ſatis deductum exhibet D. Wiſſenbach. *p. 1. Diſſ. 21. th. 10.* Si vero inimicitia domini ædium tale quid à venefico factum ſit, inquilinus non ſolum migrare poteſt, ſed &, ſi juſta inimicitiæ cauſa, intereſſe exigere *dd. DD.* Quod ſi verò quis conductor, omnes caſus fortuitos in ſeſe ſuſceperit, & ſine culpa contrahentium alicujus, veneficæ *Pulicum* immenſos greges compulerint in ædes talem caſum, utut inſolitum & incogitatum ferre cogitur. Struve *ex. 19. th. 44.* & in terminis, *ex. 24. th. 17. quæſt. 2.* quamvis poſt alios noviſſimè diſſentiat Dn. Tabor in *Relat. argent. rel. 98.* Quid die an uns/ &c. in fin. Poſſe verò veneficos, permiſſu Dei, *Pulices* facere examuſſim docet Dictator Practicorum Carpzov. *in Prax. Crim. part. 1. quæſt. 48. num. 55.*

Quæſtio

Quæſtio XXII.

Nunc lampada tradimus alii caſui, qui nuper in facto nobis præſentibus contigit, cum in æſtatem ver declinaret. Exſpatiati erant juvenes virginesque in hortum flumini vicinum. Dum circa ripam cum Titio reptat Helena, videt jacentem arundinem cum hamo ad piſces capiendos, quam dum projicit in aquam, conveniunt, ut omne, quod caperet puella (qualis & caſus conventionis eſt *in l. 11. §. 18 ff. de act. emt.*) pro honorario cederet Titio; inter piſcandum illa capit *Pulicem* ſibi forte moleſtum, quæſtio exorta eſt, an & hic Titio cederet? Videbatur, quod ſic, quia omne quod caperetur, ſibi ſtimulatus erat Pampinius amans: jam verò, qui *omne* dicit, nihil excludit, *per jur. notiſſ.* Verùm cum urna judicialis verteretur, præda puellæ per majora adjudicata eſt: cum ex mente contrahentium, id demum in ſtipulationem venerit, quod ex piſcibus in aqua caperetur. Quid ergo

ſi tri-

ſi tripodem aureum eduxiſſet piſcatrix, prout factum erat à Mileſiis piſcatoribus, à quibus jactum retis emerant Ionici adoleſcentes ; teſte Diog. Laërt. *lib. 1. in vita Thaletis* : Ego certè à Delphico oraculo diſſentirem, nec eum aut Thaleti, aut Deo, ſed puellæ ex ea, quam dixi ratione ſcilicet mente contrahentium addicerem, & pro ſportulis nil niſi ſubſidium charitativum (hoc eſt oſculum) peterem ; præſertim cum virgines, jũxta quorundam majorum gentium JCtorum opinionem : vide Gailium *lib. 1. Obſerv. 1. num. 41.* ſint miſerabiles perſonæ (und vornehmlich wann ſie über ihre acht und zwantzig Jahr paßiret ſind / und als verfaulte Aerffel von jedermann verachtet werden/) à quibus ſportulas pinguiores accipere inhumanum eſt.

Quæſtio XXIII.

Alia ſeſe offert quæſtio, plus difficultatis in receſſu habens quàm prima fronte apparet ; anne *Pulex*, inter

ter res mobiles, an immobiles ſit referendus? Et licet reſponſio non ſit difficilis, eum nimium quantum inter ſe moventia referri, hoc tamen indiſtincte non eſt veritati Juris conſonum. Si enim v. g. *Pulices* ſint in lecto diverſorii, quia ille pro re immobili habetur ex quorundam haud infimi ſubſellii Doctorum ſententia (à qua tamen abit Carpz. *p. 3. Conſt. 24. def. 10*, adde Struvium *ex. 3. th. 82.*) etiam *Pulices*, ut acceſſorium pro tali haberem: cum illud ſequatur ſuum principale, §. *ſi tamen 26. Inſt. de rer. div.* Et quod Juris eſt in toto, etiam eſt in parte. *l. 112. ff. de reg. jur.* ubi Dd. Facit huc, quod fructus pendentes pars ſint fundi. *l. 44. ff. de rei vind.*

Quæſtio XXIV.

Ponamus virum & mulierem in uno lecto cubare, & *Pulicem* ab uxore ad maritum ſalire; an ſtatim uxoris eſſe deſinet? reſpondemus hujus litis deciſionem accuratam dependere

pendere ex lite illa, utrum ad animalia prorſus fera, ut urſos, an prorſus manſueta, ut gallinas & anſeres? an manſuefacta, ut columbas vel cervos, pulices ſint referendi? Et quia me judice, illi ad animalia manſueta referuntur; ex §. *gallinarum 16. Inſtit. de rer. div.* ſciendum eos, licet conſpectum uxoris effugerint, quocunque loco ſint, ejus manere, & ſi lucri faciendi animo eos detinet maritus, rei vindicatione peti poſſe. Quod ſi tamen ille diutius circa mariti corpus hæſerit, indeque multum ſanguinis hauſerit; vix eſt, quin eum mariti eſſe dicamus, ſicut in §. *quod vis 21. Inſt. eod.* conſtitutum eſt, ut pars vi fluminis a meo ad tuum fundum rapta, tua ſit, ſi longiori tempore fundo tuo hæſerit, arboresque, quas ſecum traxit, in fundum tuum radices egerint, indeque alimenta capiant, ex quibus dominium pendere etiam patet ex § *ſi Titius 31. Inſt. d. t.* ubi de arboris meæ in tuo ſolo plantatæ, dominio agitur.

Quæſtio

Quæſtio XXV.

Pertinet ad noſtram aream quæſtio inter commenſales magni cujusdam, ſi non maximi JCti (quem honoris cauſa non nomino) agitata, anne ſc. Studioſi, qui ad annum conduxere menſam, reſilire à contractu poſſint, ob *Pulicem* in offa vel juſculo repertum? Et cum talis impuritia hoſpitis ſit intolerabilis, ambabus largior manibus, Studioſos non ſolum deferere menſam poſſe: ſed & ad intereſſe hoſpitem convenire, cum contractui non ſatisfecerit: prout æquitas exigit. *l. 1. ff. de Conſt. pec.* idque culpa ſubſit, cum ancillæ, ſive uxoris, ſive coquæ ancillæ in officio, cui præpoſita eſt, delinquentis culpam luat dominus. *l. 1. §. 2. & 3. ff. de Public.* Hahn. de Weſ. *tit de noxal. action. num. 7.* Carpz. *p. 4. Conſt. 17. Def. 13. & Conſt. 43. Def. 7.*

Quæſtio XXVI.

Omnes veſtes meas tibi legavi, an & *Pulices* in iis legaſſe videor? Aff. cum

cum legato etiam acceſſiones cedant: *l. 39. ff. de uſufr. l. 44. §. 4. ff. de Legat. 1.* Et quidem legatis veſtibus non ſolum *Pulices* viventes debentur legatario, ſed & pelles *Pulicum* occiſorum: cum veſtis appellatione & pelles animalium veniant. *l 23. §. ult. l. 24. l. 25. pr. & §. 8. ff. de aur. & arg. legat.* Nec hæc quæſtio eſt de lana caprina, ſed de pelle *Pulicum.*

Quæſtio XXVII.

Sæpe fit, ut in caupona *Pulicum* ſturmatim inſilientium malitia ita vexentur hoſpites, ut itinere feſſi dormire haud poſſint, prout celeberr. Schuppius *in Orat. pag. mihi 26.* in quodam Programmate inquit: *Iterum nec malè VV. ago, utpote qui nulla me affecerunt injuria, niſi quod aliquando è pereg rinis Academiis reducem me exceperunt laſſum & ſtrenuè eſurire coegerunt. Jacebam in ſtramine & crebris* Pulicum *morſibus miſerrimè infeſtatus dormire non poteram.* Inde ergo (præſertim ab Advocato rixoſo) quæſtio moveri

poſſet; anne cauponi aliquid æris pro hoſpitio ſit ſolvendum; quod rectè negatur, cum culpam caupo præſtare cogatur. *l. 3. §. 1. ſub fin. ff. naut. caup. ſtab.* at *Pulices* non, quoad ejus rei fieri poteſt, abigens, omninò in culpa eſt. Adde, quod caupo hoſpitum res à damno immunes ſervare cogatur. *l. 5. §. 1. eod.* ergo multò magis eorum corpora. Eo magis, quia recipiendo videtur affirmare & promittere, ædes ſuas eſſe commodas iter facientibus: *arg. d. l. §. 1. eod.* Quod ſi gratis hoſpitium præbuit, vix ei aliquid dici poteſt; *arg. d. l. 3. §. 1. verſ. Sed ſi gratis.* & non minus proverbium, quam veriverbium eſt: An einem geſchenckten Pferd muß man eher nach dem Hindern/ als nach den Zähnen gucken. Vide Senec. *de Ira l. 3. c. 30.* Si tamen hoſpes cum multis mulieribus, vel, quod idem, canibus *pulicoſis* venerit; cauponi nil imputari poteſt; ſed damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſentiat; *l. 203. ff. de reg. jud.* & alteri

per

per akerum iniqua conditio non eſt referenda. *l. 47. ff. eod.*

Quæſtio XXVIII.

Mirabilis caſus nuper mihi advocato à cliente eſt relatus. Titius Sejæ librum amatorium (fortè Amadiſum) commodato dederat; ut inde *courteſiam & courteſiren* diſceret; quem dum aliis procis, partes potiores habentibus, irritatus repeteret, *Pulicum* ſtercore in multis locis adeò corruptum invenit, ut inutilis eſſet (es ſahe alſo aus wie das Bild des H. Niclas zu Stillen / welches die Mucken ſo beſchmiſſen hatten / daß es die Bauren nicht mehr anbeten wollen) itaque commodati agebat: quæritur an actio eſſet fundata? Et cum in commodato etiam leviſſima culpa ſit præſtanda, prout apud omnes in confeſſo eſt; omninò ad damnum reſarciendum condemnandam cenſeo puellam? adeò ut ſi non haberet in ære, lueret in corpore: & executio committeretur Tito. Si ta-

men Titius ſponſus, & Seja ipſius ſponſa eſſet; talisque caſus accideret, Sejam tantum non abſolverem : *arg. l. 5. §. 10. ff. commod.* ubi dicitur, ſponſam in re à ſponſo commodata, quò honeſtius culta eſſet, tantum dolum præſtare.

Quæſtio XXIX.

Gemello modo quæri poſſet, ſi in domo ſartoris, cui ad ſubuculam albam conficiendam, materiam dederam, ea, *Pallium* ſpurcitiâ ſit corrupta, an teneatur ſartor? Et nemo, niſi Judæus Apella, calculum nobis denegabit : Actione quippe locati vel (ſi ab initio de mercede non convenerit *l. 22. ff. P. V.*) præſ. verbis, eum poſſe puſari, quia non melius cuſtodivit, clarum eſt ex *l. 25. §. 8. l. 10. §. 2. ff. locati. l. 13. §. 6. ff. eod.* (ubi fullo tenetur, ſi mures roſerint veſtimenta ſibi ad poliendum data.) *l. 14. l. 17. C. eod. arg. l. 34. ff. de damn. infect.* verb. *poterat eas res in locum tutiorem transferre.*

Qua-

Quæſtio XXX.

Et quo decidi poteſt quæſtio, ſi veſtimenta creditori dederim, & ſimile quid per *Pulices* acciderit, an ille teneatur? Ita ſanè! *arg. l. 5. §. 2. ff. commod. d. l. 34. l. 13. §. ult. l. 14. ff. de pign. act. l. 9. C. eod. l. 3. C. de peric. tut.* Sic ex Baldo notat Gothofr. *ad l. 13. §. 6. ff. locati.* creditorem teneri ad veſtimentorum ſibi oppignoratorum purgationem & defenſionem à tineis &c.

Quæſtio XXXI.

His conſanguinea eſt quæſtio, an is, qui *Pulicum* ſtercore corruptum vendit librum, ædilitio edicto teneatur? Quod omninò aſſerendum per tradita, Caball. *cap. 2. n. 47. Gloſſ. ad l. 1. p. de ædil. edict.* imprimis ſpecialia de libris docentis Rœvenſtruncks *Medit. Ædil. lib. 1. cap. 1. num. 10.* Idemque eſt in tunica, *Pulicibus* plena, ignoranti vendita: *arg. l. 1. §. 1. ff. de action emt. l. 13. pr. eod. l. 45. ff. de contr. emt. l. 1. C. de ædil. ed.* Sic cùm ca-

nem venatori è venatore venditum *Pulices* ita exhauſerant, ut (ſicut taurus Virgilianus *vix oſſibus hæreret*, & periculum eſſet, ne ad corvorum pabulum mox eſſet projiciendus; ob tale vitium non leve, ſed uſum canis impediens emptorem non teneri, advocatus defendi, *arg. l. 4. §. fin. ff. de ædil. ed. l. 1. §. 9. eod. l. 3. l. 4. pr. eod.* & lauream per ſententiam obtinui.

Quæſtio XXXII.

In ſcenam alius ſeſe offert caſus nuper apud nos in auditorio illuſtri Veronenſi ventilatus: Ruſtica quædam ultimum ſuum elogium (ſeu tabulas teſtamenti) in lecto repoſitas habuit, idque *Pulices* ita ſpurcaverant, ut nomen hæredis legi non poſſet, quæritur, quid juris? Et illud teſtamentum non valere patet, ex *l. 1. §. ult. ff. de bon. poſſ. ſec. tabb.* conf. Berlich. *p. 1. concl. 80. n. 91.* niſi teſtes idonei de ejus tenore deponant: Hahn ad Weſ. *de fide inſtrum. d. 6.* & ſufficiunt ad id duo teſtes cum Notario,

tatio, ſi teſtamentum forte ſit (ut in noſtro caſu) nuncupativum; uti à Mævio eleganter & in ſimili (apud Mævium teſtamentum amiſſum erat, hic illud corruptum; quæ duo æquiparantur. *l. 13. §. 1. ff. l. 14. ff. de reg. jur.*) traditur *part. 4. dec. 13.* adde *part. 9. dec. 149.*

Quæſtio XXXIII.

Dubitari poſſet, cum vir Dominus ſit uxoris, teſtibus Apoſtolis ad *Coloſſ. c. 3. v. 18. 1. Pet. 3. v. 1. & ſeqq.* ſi in pectore v. g. uxoris *Pulices* quærere velit, uxor ei novum opus nunciare poſſit? Et videtur primâ facie uxorem id prohibere poſſe; eum enim, qui venandi causâ fundum meum ingreditur, prohibere poſſum. §. *Fera igitur 12. Inſt. de rer. diviſ.* Sed contrarium verius eſt, cum fundus ille, ubi maritus *Pulices* venatur non tam ſit uxoris, quàm mariti, *cit. ex Biblicis.* Dann es iſt des Manns Säe-Land / Gramet und Wieſen. Fructus autem fundi, inter

alia, etiam consistit in venatione & aucupio, *l. 9. §. 5. l. 62. ff. de usufr.* Hahn. ad Wes. *de acq. rer. dom. num. 7. ad verb. in fructu.*

Quæstio XXXIV.

Per quæstionem præcedentem alius affinis admoneor, quæ penna & bipenni est agitata. Vasallus Titius, in aula Seji domini directi, causâ officii versabatur, dum post prandium cum uxore domini confabulatur, absente Domino, & circa Parnassum bicipitem non Musis, sed Veneri sacratum, hoc est, mammillas sororiantes Cupidinemque undique spirantes, *Pulicem* capit & necat, Dominus per famulos id resciscens, quasi ob *cucurbitationem*, Titium ex Zelotypia feudo privare volebat, quæsitum, cui jus suppetias ferret? Anceps erat quæstio, in qua decidenda, tot erant crabrones, quot JCtorum cerebra. Urgebat Titium quod lusus cum conjuge Domini impudicus lasciva que contrectatio, æ-

qualem

qualem cum ipſa cucurbitatione ſeu concubitu mereatur pœnam: Roſenth. de Feud. *cap. 10. concl. 28. n. 3. & ſeqq.* Sonsbeck. per 12. *num. 24.* etiamſi conſenſus uxoris acceſſerit: *Schrad. p. 9. c. 2. n. 19.* Alii tamen conſulti, aus beweglichen Urſachen/ id eſt, ob pingue honorarium in contraria omnia ibant, & prout JCtorum genus eſt rixoſum, & in jure & in facto Domini aſſertum negabant fundatúm, *Pulicem* non circa mammillas, ſed circa maxillam aut collum captum. Famulos domini non eſſe teſtes omni exceptione majores, Maleficia diſtinguere animum, Titium ex impudicitia eam non attrectaſſe: nec id in dubio præſumi: nihilominus eum ad præſcriptum Juris feudalis cum *duodecim ſacramentalibus* deſuper juraturum. Tum etiam ætatis pro eo præſumptionem militare; eſſe quippe teſtibus capillis albis octogenario majorem: Und iſt bekannt/ daß wann die Berges-Spitzen beſchneyet ſind / es nothwendig un-

ten kalt ſeyn müſſe. Potius eum remunerandum, quàm puniendum; defendiſſe quippe uxorem Domini contra hoſtem, ut inteſtinum, ſic eo formidabiliorem: & ſic ſatisfeciſſe officio probæ monetæ Vaſalli; qui Dominum ſuosque, contra omnes hoſtes, exceptis Imperatore & Papa defendere cogitur. Hæc vanæ diſputabantur, und wann die Straff von einem Füßlein nicht Nachdruck hat/ ſo kan die Straffe von 14. Füßlein ſtatt haben.

Non noſtrum inter vos tantas componere lites!

Tutius tamen faciet Vaſallus, ſi manu abſtinentes ſervet: halte die Hände zuruck/ oder man klopfft dich auf die Finger! Noli me tangere!

Quæſtio XXXV.

An ob damnum à *Pulice* uxoris datum v. g. marito, uxor teneatur, in dubium vocari poſſet. Omninò: ſi enim culpa uxoris maritus famelicæ natio-

nationis morſibus laceretur, actio legis Aquiliæ utilis parata eſt. *l. ult. C. ad leg. Aq.* ſin dolo, ad exhibendum ſc. ſanguinemagitur. *l 9. §. 1. ff. ad exhib.* Struv. *Ex. 14. th. 3.* quem quia uxor reddere nequit, juratur contra eum in litem. *l. 5. C. d. t. l. 3. §. 2. l. 5. §. 2. ff. de in lit. jnr. §. 3. Inſt. de off. jud.* Si verò dolus & culpa abſint, datur actio de paſtu, ut æſtimationem, vel *Pulicem* ipſum det uxor. *l. 14. §. fin. ff. de praſ. verb.*

Quæſtio XXXVI.

Reformidantibus nunc humeris Marpeſiæ cautis molem coloſſicam intueor! Aqua mihi hæret in re ex fonte Hammonis petenda! Quæſtio ſcilicet de ſimplici & plano non tractanda, tot inſidioſis laqueis involuta, & ut brevis ſim, ſanctione Imperatoria egens, nunc ſeſe exhibet: anne *Pulex* pœna capitali ob morſum poſſit affici? Et ante omnia ſciendum eſt, ipſam læſam mulierem, judicem delicti eſſe non poſ-

se non posse, cum nemo in sua causa jus dicere possit, *l. 10. ff. de Jdiot. t. t. C. ne quis in sua caus. jus dic.* Gail. 1. O. 30. nisi ubi cessat judicium momentanee aut continuè, vide Grotium *de J. B. & P. lib. 1. c. 3. n. 2.* præsertim verò iratus omni pœna abstinere debet: Eleganter Seneca *de Ira lib. 3. cap. 12. Maximum*, inquit, *remedium iræ dilatio est, ut primus ejus fervor relanguerat, & caligo, quæ premit mentem, aut residat, aut minus densa sit. Non potuit impetrare Plato à se tempus, ut cum servo suo iratscceretur: sed ponere illum statim tunicam & præbere scapulas verberibus jussit, sua manu ipse percussurus. Postquam intellexit iratsci se sicut sustulerat, manum suspensam detinebat: & stabat percussuro similis. Interrogatus deinde ab amico, qui forte intervenerat, quid ageret? Exigo*, inquit, *pœnas ab homine iracundo; velut stupens gestum illum, deformem sapienti viro, servabat oblitus jam servi, quia alium, quem potius castigaret, invenerat: itaque absolvit sibi in suos potestatem, & ob peccatum quoddam commotior. Tu*, inquit,

inquit, *Speuſippe, ſervulum iſtum verberibus objurga; Nam ego iraſcor, ob hoc non cecidit, propter quod alius cecidiſſet. Iraſcor*, inquit, *plus faciam quàm oportet: Libentius faciam; non ſit iſte ſervus in ejus poteſtate, qui in ſua non eſt. Aliquis vult irato committi ultionem, cum Plato ſibi ipſi imperium abrogaverit. Nihil tibi liceat, dum iraſceris, quare? quia vis omninò licere.* Hactenus Seneca. Secundò tamen putem; læſæ puellæ licere *Pulicem* levius caſtigare, v. g. ihn luſtig zwiſchen den Fingern reiben/ mit einem Lufft-caprioliſchen Sprung zum Fenſter hinaus werffen/ ihm ein Zähnlein ausbrechen/ und ein Füßlein abzwicken/ & ſimilia. Cum domino liceat etiam ſervum hominem ſine ſævitia caſtigare, apprehendere, in vincula vel piſtrinum dare. Struv. *ex. 3. th. 31.* Grotius *lib. 3. c. 14. toto.* Item ad tempus relegare. *l. 35. §. 3. ff. de hæred. Inſtit.* Sic & mulier ſeu uxor (per anagr. *orcus*) *Pulicem* fugientem propria auctoritate poteſt capere. Bonac. *qſt. 234. de Famulis.* Ter-

tiò ſtatuimus, planè injuſtum eſſe, ut *Pulex* necetur, non quaſi cum Stoicis credamus, paria eſſe delicta, ſi quis patrem ſuum, & ſi quis gallum gallinaceum occidat: ſed 1. quia *Pulex*, utpote ex fame peccans, mitius eſt puniendus. Ord. Crim. *art.* 166. *ubi Dd.* Dn. Tabor Racem. *crim.* 3. *ad tit.* 3. *C. de furt. n.* 36. Carpz. Pr. Crim. *p.* 2. *q.* 83. *n.* 43. *&c.* Et 2. nulla eſt proportio inter pœnam & delictum, inter ſanguinis guttulam, & mortem: rectè Owenus *l.* 1. *epig.* 35.

Tu morſu me ladis, egoque tibi infero mortem,
Eſt tua culpa levis, non nego, pœna gravis.

Hinc 3. nec *Pulici* in Jure Divino aut humano pœna capitalis eſt dictata: Quod verò jus non cantat, nec nos cantare debemus. Accedit 4. quod in dubio benignior ſententia ſit ſequenda, quemadmodum eleganter traditur *l.* 11. *ff. de pœnis*, ut adeò, etiamſi

tiamſi capitalis pœna legeretur ſtatuta, id tamen de ultimo ſupplicio exaudiri non deberet; pœna enim capitalis ſimpliciter poſita, non de ultimo ſupplicio, ſed de mitiori pœna, velut deportatione eſt intelligenda. Beuſt. *ad l. admonendi 31. ff. de jurej. p. 736. poſt. Jaſon. & Imolam*; qui hoc mente tendum ait; poſſet enim quis ſecundum hanc doctrinam lucrari unam bonam veſtem, quia ubi periculum eſt vitæ, ibi currunt advocati. Denique 5. *Pulex* eſt caro & ſanguis mulieris, & quaſi membrum, at nemo eſt Dominus membrorum ſuorum. *per jura not.*

Ut verò hæc opinio in puncto juris ſit veriſſima, Praxis tamen aliter ſervat, & generali ferè totius mundi conſuetudine, miſeri *Pulices* in flagranti crimine deprehenſi inauditi & indefenſi, ſine ſtrepitu proceſſus, brevi manu ab ipſis læſis Phalaridea tyrannide trucidantur, adeò ut menſe Auguſto quædam puella ſex mille uno die occiderit. Et certat cum crude-

crudelitate nequitia: per jocum enim agonizantibus accinere ſolent:

Weil du mich plagſt/ ſo hôre du:
Ich drücke dir die Augen zu/
Ey Floh! itzt muſt du ſterben/
Und gantz und gar verderben!

Multum fateor licet viventibus iis, corpus puellarum: ſed crudelitas fati prohibet, quò minus felices dicam: Ut adeò non malè mutato nomine de iis narretur, quod ait Seneca *Ep. 4. Neminem eò fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permittit: noli huic tranquillitati confidere, momento mare vertitur, eodem die, ubi navigia luſere, ſorbentur.* Pertinet huc Epitaphium, quod *pulici* à virgine A. C. W. necato cudimus:

Felicem me terra tegit, mihi namque licebat,
Æneæ vates quod licuiſſe canunt.
Elyſius patuit campus: felicior alter
Exiit ille; mihi res fuit exitii.

Prout autem, ut omne ulcus medicum; ita omnis cauſa patronum invenit:

venit: ſic non deſunt argumenta & colores, quibus ſpeciem ſibi ementiri cupit *Pulicidium*. Primò, quod in toto mundo ita practicetur: conſuetudinem verò juris ſpeciem eſſe, §. 9. *Inſt. de jur nat gent. & civ.* & vel in illicitis excuſare. *arg. c. objiciuntur 32 qſt. 4.* Secundò, quod is, qui cum telo ambulat, necari ſoleat, ex lege Cornelia §. 5. *Inſt. de publ. judic.* at *pulices* ſemper ambulare mit dem Spieß in der Hand. Tertio, quod latro publicus & nocturnus, populatorque (ut *pulex*,) etiam nil damni dans, impune à quovis poſſit occidi, *l. 1. l 2. C. quand. lic. unic. fin. jud. l. 4. C. ad leg. Corn de ſic.* Dn. Struv. de Vind. Priv. *cap. 3. aph. 5. & 6.* Quartò, quod quilibet rerum ſuarum ſit moderator & arbiter, etiam ad abuſum. *l. 21 .C. mandati.* Quintò, quod creſcentibus delictis *pulicum*, & pœna creſcere debeat. *l. 16. in fin: l. 28.* §. 10. *ff. de pœnis l. 1. ff. de abig.*

Verum enimverò hæ rationes tanti momenti non ſunt, ut nos à priori

priori opinione abſtrahere valeant: nam quoad primam, non videndum eſt, quid Romæ fiat, ſed quid fieri debeat. *l.* 12. *ff. de offic. præſid.* Non exemplis, ſed legibus eſt judicandum. Nec Eccleſiæ credimus, quia cana, ſed quia ſana. *Tritiſſima*, ait Seneca de Vita Beat. §. 1. *& 2. quæque via & celeberrima maximè decipit. Nihil ergo magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum eſt, ſed qua itur, & ſ:qq.* elegantiſſima. Conſuetudo debet eſſe rationabilis. *l.* 39. *ff. de reg. l.* 2. *C. quæ ſit long. conſuet.* Oppoſitus ex Jure Canonico textus loquitur de iis, quæ mero Jure poſitivo illicita ſunt, & de delictis levioribus. Schotan in Exam. *p.* 1. *q. m.* 127. nam delicta atrociora non merentur veniam, etiamſi ea omnes gentes facerent, ait Auguſtinus juxta *C. flagitia* 32. *q.* 7.

Secundum & tertium adverſariorum argumentum unâ fideliâ dealbabimus reſpondentes, *Pulicem* vitæ homi-

hominis planè non inſidiari, ſed hominem ita amare: daß er ihn wohl aus pur lauterer Lieb möchte auffreſſen. Tum etiam tenue eſt damnum, quod *Pulex* dat; minima autem non curat Prætor.

Quartum telum ſeptemplici velut Turni clipeo avertetur, ſi dicamus, textum 1. non loqui de abuſu, vide tamen Menoch. *de præſ. lib. 4. c. 83. n. 6. 9.* 2. Cum de rebus inanimatis loqui exaudiendum; non de animatis, de quibus dicitur in Sacra Scriptura: *Juſtus miſeretur pecoris ſui, ſed cor impiorum eſt crudele. Proverb. c. 12. v. 10.* Et 3. ſciendum etiam leges moderari illud arbitrium, *arg. §. ult. Inſt. de his, qui ſui vel alieni juris ſunt.*

Ultimum argumentum (1) loquitur de animalibus rationalibus, (2) non præcisè evincit *pulices* eſſe necandos. Et (3) etiam in dubium vocari poſſet, an *pulex* quærens alimenta neceſſaria aliquid tanta exaſperatione dignum committat. Certè de

tè de vento nemo vivit: *lib. ult. C. de alim pup. præſt.*

Quæſtio XXXVII.

Quid ſi Pulex ſemel dimiſſus iterum capiatur? & cum delicti repetitio delictum aggravet. *arg. l. 28. §. 3. ff. de pœnis.* Ordin. Crimin. *art. 157. & ſeqq.* omninò gravius eſt puniendus nebulo, adeò ut utraque manus ei ſit amputanda. Sic & pœna exaſperanda, ſi animalculum in conſpectum honeſtorum virorum prorepat, anſamque vexandi puellam det. *arg. §. Atrox. Inſt. de injur. verb. vel in Foro, vel in conſpectu Prætoris.* Quæ omnia diſcretus Judex pro ſua dexteritate æſtimabit.

Quæſtio XXXVIII.

An ergo *Pulici* advocatus permitti debeat, re in judicium deducta, dubitare quis poſſet. Et illi, qui ex *Pulice* camelum faciunt, hoc eſt atrocis delicti *Pulicem* reum credunt, haud dubie id negabunt, paraſtata Paride de Puteo, qui in Tr. *de Syndic. Rubr. de Ad-*

de Advoc. n. 13. perſuadere ſatagit, judicem inſignibus furibus & latronibus publicis non debere concedere advocatum. Nos verò, cum delictum *Pulicis* æqua lance ponderemus, & tantum quantum fingitur, non credamus, omninò ei advocatum dandum cenſemus, cum reo, præſertim criminis capitalis, vel maximè advocatus ſit dandus, etiamſi nolit. vide Rodriq. *caſ. conſc. T.* 1. *c.* 2. *n.* 3. Carpzov. Pr. Crim. *p.* 3. *q.* 115. & ne quidem beſtiis denegandum defenſionem ait. Idem *d. p.* 3. *q.* 105. *num.* 23. ubi haud dubie ad *Pulices* reſpicit.

Quæſtio XXXIX.

Stante communi praxi, quod *Pulex* deprehenſus in ipſo facto, ſtatim poſſit occidi, quæritur, an ille alio modo, quàm ungue impreſſo, v. g. vivicomburio, merſione in matulam, vel transfixione per acum poſſit puniri? Et magis eſt, quod non, cum in pœnis capitalibus à ſolita pœna

pœna ne quidem latum unguem ſit abeundum, per elegantem textum in *l. 8. §. 1. ff. de pœnis.* ubi addas Brunnem. *n. 1.* Et qui Imperatores aut Reges hoc nomine infames ſint, tradit Wendel. in Polit. *l. 2. c. 13. th. 7. §. 1.* Religioſiores erant Maſſilienſes, de quibus Valer. Max. *l. 2. c. 6. A condita* (ſcribit) *urbe gladius eſt ibi, quo noxii jugulantur, rubigine quidem exeſus, & vix ſufficiens miniſterio, ſed index in minimis quoque rebus omnia antiqua conſuetudinis monumenta ſervanda.*

Quæſtio XL.

An in templo *Pulex* poſſit occidi, à puella rogatus ſum? Et procul dubio affirmabit Ageſilaus, qui inter ſacrificandum tale animal repertum neci dabat, adiciens: *Inſidiator vel in ipſa ara occidendus.* Sed verior eſt negativa opinio, 1. ex Jure divino, quia diſtrahuntur cogitationes a ſacris. 2. Ex Jure gentium; quia ibi locus Sacer. §. 8. *Inſt. de rer. div.* 3.

Ex

Ex Jure divino, gentium & civili, quia ibi saltem asyli jure fruetur *Pulex*. Facit huc, quod rixantes in templo graviter puniantur, Carpz. Jp. Consist. *lib. 3. def. 96.* præsertim si à verbis ad verbera deventum. Idem *d. l. def. 97.*

Quæstio LXI.

Quòd si plures *Pulices* uno actu cœperit fœmina, an omnes ad generum Cereris sunt mittendi? Crudele hoc certè est: & rectè Cicero pro Cluentio ait: *Statuerunt majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut videlicet metus ad omnes, pœna ad paucos perveniret.* Et Seneca *lib. 2.* de Ira *c. 11. In singulos*, ait, *severitas Imperatoris destringitur. at necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus.* Dicto ergo casu, aut sortitioni erit locus; aut casus erit pro amico, cui velis gratificari. Pinguior tamen ob præsumptionem, consuetudinis,

erit mactandus. *arg. l. 3. §. 12. ff. de milit. l. 5. pr. & §. 6. ff. eod.*

Quæstio XLII.

Juvenis ex lascivia puellæ *Pulicem* captum manibus excussit, quæ pœna erit infligenda? Et constat ex latifundiis judicis, responsumque ita à Facultate Juris H. eum actione in factum teneri; prout ille tenetur, qui misericordia ductus alienum servum solvit, ut fugeret. §. *ult. in fin. Inst. de leg. Aq.* Si tamen *Pulicem* ad Judicem deducendum quis exemerit, eum ex edicto prætoris, ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat, interdum & lege Julia majestatis conveniendum quis putare posset, qua de re latius disserit Thoming. *decis. 15.* adde Hahn. ad Wes. *Ne quis eum, qui in jus voc. &c. n.* V. Wilenb. *p. 2. disp. 34. th. 1.*

Quæstio XLIII.

Quid si judex de vulnere, per *Pulicem* accusatum, puellæ facto dubitet?

tet? Et cum de occultis nec Paulus Apoſtolus, nec Paulus JurisConſultus judicare poſſit aut debeat; puellæ verò in propria cauſa in necem tertii cedere, res peſſimi ſit exempli, omninò ex titulo de ventre inſpiciendo (qui titulus ut de media hominis parte agit; ſic medius eſt non ſolum *lib. 25.* ſed totus operis *ff.*) erit agendum. Et ad eam rem *Notarius cum teſticulis*, teſtibus volebam dicere erit ablegandus. Quod ſi ille fortè amore puellæ, fallat judicem in quantitate & qualitate vulneris, actione utili ex edicto, ſi menſor falſum modum dixerit, tenebitur. *l. 3. §. 4. l. 5. §. ult. l. 6. l. ult. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix. Hahn. d. t. num. 4.*

Quæſtio XLIV.

Cum *Pulices* juxta Naſonem, ſint *amara lues inimica puellis*; in foro conſcientiæ quæri poſſet, anne ad fugandos eos liceat adhibere amuleta ſeu Φιλτρία? Et nili ſuperſtitioſa ſint, annuimus? prout enim licet medi-

 camenta

camenta adhibere v. g. pulegio uti; ſic & licebit: Ein Stück von einer Wolffs-Haut anhängen. Item: 6. Flöhe/welche am St. Michaelis-Tag gefangen worden / im lincken Schuh-Säcklein bey ſich tragen; & alia fœminis notiora. Notabile eſt, quod celeberrimus ſcaliger tradit *lib. 15. ex. 303. num. 4.* quæque fumo abigi animalia, ſi comburantur quædam ſui generis. Fluit ergo ex his *Pulices* excantamentis abigi non poſſe. *arg. l. 1. §. 3. ff. de extraord. cogn.* ubi ita Ulpianus: *Non tamen* (ſc. medicus eſt dicendus) *ſi incantavit, ſi imprecatus eſt, ſi* (*ut vulgari verbo impoſtorum utar*) *exorcizavit: non ſunt iſta medicinæ genera; tametſi ſint, qui hos ſibi profuiſſe, cum prædicatione affirment.* Adde Imp. Leonis Nov. LXV. (ubi graviter de incantamentis diſſerit) & de pœna. Carpz. Pr. Cr. *p. 1. q. 50. & 54.* It. Jpr. For. *p. 4. conſt. 2. def. 7.* adde Dn. Schrœter. *caſ. conſ. 30. Cij. lib. 27. Obſ. cap. 17.*

Quæſtio

Quæſtio XLV.

An verò amuletis licitis, & illa ſint annumeranda, ut beſtiolæ pungentes in vicini ædes fugantur, quæſtionis eſt non ſatis expeditæ? juratem ego mihi (*ut Pontifici M. c. 18. X. de decim.*) non liquere! Hoc tamen videtur, argumentis ex *l. 24. §. ult. l. 26. ff. de damn. inſect. l. 21. ff. de aqu. pluv.* deductis, litem eſſe decidendam. Et proximum quemque ſibi eſſe conſiderandum eſt, ordinatamque charitatem à ſe ipſa incipere. Atque ſibi imputet vicinus, cur non ſimilia adhibeat ad depellendos *Pulices*: So fahren zuletzt alle Flöhe vor den Teuffel und ſeine Mutter darvon/ und das wird alsdann eine herrliche Sache ſeyn.

Quæſtio XLVI.

Quid ergo de remedio pontificio exorciſmi ſentiendum, per quod fugantur *Pulices*, quale tradit Berth. Chaſſan. *Conſil. 2. num. 124.* hac formula: *Adjuro vos mures, limaces, ver-*

mes, Pulices, *& omnia animalia immunda, alimenta hominum diſſipantia & corrodentia hoc in territorio* (ſc. Heduenſi, in Gallia) *& parochianatu exiſtentia, ut à dicto territorio & parochia diſcedatis, & ad loca accedatis, in quibus nulli nocere poſſitis, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Amen.* Quale vel ſimile excommunicationis remedium ille ipſe JCtus d. l. contra paſſeres eccleſiam fœdantes, & divinum officium impedientes tradit. Nos talia media fugandi non approbamus: licet enim prima eccleſia donum miraculorum habuerit, uti ea Marco *cap. 16.* patet, ubi fugati ſunt ſerpentes; id tamen hodie deſiit: unde Auguſtinus: Quisquis hodie adhuc quærit miraculum, quærit prodigium. Vide Wendel. Theol. *lib. 1. cap. 24. th. 4. §. 2.* in fine. Sed hic Terminalia ſunto!

II.

JACOBI MASENII

LAUS & DEFENSIO PULICUM.

Laus & Defenſio Pulicum.

MAximum divinæ virtutis ac ſapientiæ argumentum Phyſici, Theologique in minimis fere rebus agnoſcunt: egregium planè cœlorum opus admirantur quidem, ſed eidem tamen muſcam aliquam, vile putridumque animalculum, præferre non dubitant. Parvum illud quod in annuli pala Carolus V. incluſum horologium habuit, ſuſpiciunt eidemmet artifices, qui ingentes horarum ſignandarum machinas, in templis negligunt. Exilem apiculam amant & obſtupeſcunt Agricolæ, qui ardeas, milvos, corvosque facile aſpernantur. Quot leones catenis vincti illigatique nullo admirante ac prædicante conſtitêre, quos perinde tanquam chartis ac poſteritate indignos, præteriit hiſtoricorum vigilantia, cùm tamen pulicem

unum catena aurea ab artifice conſtrictum, velut miraculum naturæ artisque, literarum monumentis, ac perpetuæ memoriæ conſignarint: pulicem inquam, quem antiqui non funibus, aut compendibus, ut furem latronemve patibulo aſſervandum, ſed aureis armis ac torquibus, velut meritis honorum inſignibus ornandum cenſuere. Ut quorundam hac ætate hominum, vel invidia, vel indignatio jure reprehendenda ſit, quæ levi vellicatione perſtrictos, in extremam inſontis animalculi oppreſſione impellat.

Quorum ut inconſultas ego manus compeſcam, ut præcipiti indignationi occurram, & vel errorem corrigam, vel flagitia impediam, apud vos hodie, inclyti Hollandiæ Principes, quâ precibus, quâ rationibus intercedere decrevi, ut nihil deinde adverſus æquitatem pro iniquitate conſtituatur, ſed luant nocentes ſcelera, parcatur innocentibus.

Quod

Quod ſi enim Pulicum vobis innocentiam ab ipſa cum illis deductam propagatamque origine, ſcl. conſanguinitatis jura, integritatem educationis, victus honeſti officia, ſummorum Principum familiaritatem, egregias naturæ dotes virturesque nullo unquam graviori dedecore, aut flagitio corruptas, ſi pacis ſolitudinisque, quâ apud omnes frui ac gaudere cupiunt, amorem oſtendero: jam, ut nihil futurum eſt, quod in pulicibus jure reprehendatis, ita opinor, nihil apud æquos etiam Judices reperietur, cur gravioribus in tam innoxium animalculum pœnis animadvertendum cenſeant.

Verùm novo quodam defenſionis genere hac in cauſa utendum eſſe duxi. Neminem accuſabo, nullius adverſarii ignorantiam atque ingratitudinem, nullius invidiam malevolentiamque perſtringam. Suam cuique exiſtimationem honoremque intactum relinquam. Unius tantum periclitantis in hoc judicio Pulicis vi-

tam actionesque prosequar, quæ si tales fuerint, ut justam nullius reprehensionem, sed studium favoremque omnium rectè sentientium mereantur, vestram mihi, ô Proceres, hac in causa æquitatem minimè defuturam, pulici verò suam apud vos innocentiam, ad hoc, ut vivere impunè possit, maximè profuturam confido.

Qua in re tantò mihi plus fidei authoritatisque tribuendum à vobis censeo, quantò majori cum Pulicibus familiaritate à teneris consuevi, qui cum iisdem educatus sum, cum illis inter adolescentiæ & juventutis studia domi forisque in curia & in castris versatus, sæpè eodem cum illis tecto lectoque receptus; ut nihil egerint ac moliti sint, cujus me testem habere non possint. De his igitur quæ sensi, quæ expertus sum orator ipse, & deprecator accedo.

Atque ut ab ipso vitæ illorum exordio mea quoque exoriatur oratio Videa-

Videamus obſecro, qua ſtirpe genus ſuum familiamque deducant, quàm nobili ac generoſo illud ſanguine ornetur. An negare poſſumus, quod longa retrò avis atavisque traditione accepimus, multorumque haud dubia annorum experientia tenemus, humano pulices, ac perſæpè Principum Regumque ſanguine propagari? Et quamvis diverſa ab homine ſpecie, ut mulus quoque ab equa generantur, dignam tamen ſua origine indolem vigoremque animi nequaquam amittere? Non enim degeneri ingenio inter penſa mulierumque tantum greges, uti Sardanapalus olim delitescunt, ſed in campum ſæpe atque aciem cum Achille aliquando aut Alexandro, prorumpunt, iisdemque quibus ipſi armis tegantur, idem vel ſepulchrum adituri, ſi cadant; vel triumphum, ſi reportent victoriam; nihil ut indignum his parentibus, hac patria, atque ſolo admittant, paterna do-

mo ac frugalitate contenti, eodem ſolo ac ſanguine fruentes, unde nati. In hoc vivere, ac mori ſine ullius injuria parati, unde primum hauſerunt ſpiritum, niſi per vim atque inimicitias patriis poſſeſſionibus eliminentur. Quocirca ſi equorum pullos, leonis fœtum, ac elephantorum partum jure laudaveris, iſtam humani corporis progeniem non niſi injuria à laude repudiaris. Dabis igitur pulici quod ex homine ac vivente natus ſit, cum humanæ tamen origini aliud nihil concedere poſſit, quàm brutam ac mortuam tellurem, ut iam inde habeat, quod cum ipſo homine de ſtirpis atque originis nobilitate certare poſſit, antiquitate multò etiam ſuperior, ut qui ipſius Evæ & Adami cubilia habitáſſe non immeritò credatur: ultrà quod principium Principum Regumque familiæ nomenclaturæ ſuæ ſeriem extendere nunquam potuerunt.

Quid

Quid nunc dicam de ſingulari ipſius indole, qua rudioris ætatis annos, adhuc dum tenerior ſub parentum diſciplina, tranſigit. Albus primum naſcitur atque in lucem prodit, ut innocentiam ſuam vel naſcens ipſe hoc colore teſtetur. Multi etiam ex ovis, à parentibus per veſtes ſparſis ſenſim excludi putantur, Selenitiditas homines imitati, quos Herodotus ex ovis à mulieribus profuſis naſci aſſerit. Mox ubi vita ſenſusque membris infuſus, habilisque per totum corpus ad motum ſalutemque explicata agilitas: non illi ſubitò ac temerè proſilire, huc illucque juvenili incuria atque licentia; ſed ubi ingenium, & ætas maturior eſt, tunc primum ſe campo credere, ex venatione Parthorum atque antiquorum Germanorum inſtar vivere, neque ſtabile aliquod, aut fixum, cum iisdem habere domicilium, ſed vagum, atque ut impetus, meliorque quærendi victus occaſio ſuaverit, huc illucque

transferendum. Neque ſarcinas, ſuppellectilem, ac familiam longam trahit, ſed ſeipſo & quotidiana ſorte contentus, ut Bias Philoſophus olim, omnia ſua ſecum portat.

Siquidem illum nec avaritia ad opes, nec ambitio ad honores ſectandos unquam impulit, inanem iſtum ſplendorem, non neceſſaria ſolicitudine plenum, generoſe negligit, ſuaque ſe paupertate ac demiſſione ſolatur; abunde dives, cùm nihil cupiat; ſatis honoratus, quod leviſſimum honoris aucupium minimè conſectetur. Et tamen ita illa ad neceſſitatem omnia affluunt, ad honorem naſcendi vivendique conditio ſuffragatur, ut nec fame unquam, aut inopia periiſſe inventus ſit; nec à Regum atque Imperatorum conſortio ita excluſus, quò minùs ipſis à cubiculis ac ſecretis eſſe poſſet. Quin conſiliis eorum ac thalamis, quibus familiariſſimi etiam amicorum arcentur, ſolus admittitur. Neque tamen ſuis ipſe Dominis para-

ſitatur,

ſitatur, aut adulatur improbè, ſed imperato ſibi à natura munere fungitur, & Regiæ ſanitatis curandæ non indiligens, intercutaneos humores proboſcide, ut phlebotomo chirurgus ſanguinem ſubtiliſſimè prolicit. Vigil ipſe dormientibus cæteris excubat, tempusque opportunum captat, quo obligatis jam ſomno artubus, citra doloris ſenſum, remedium aliis, ſuæ etiam fami ſolatium adferat. Nemo unquam Medicorum ſolertia ingenioque tanto, aut ſomni apud ægrum occupavit tempora, aut dolorem avertit: Ut unus jure pulex innocentiſſimus in aula Principum Archiater videri poſſit, qui & ſine periculo vulneret, & ſine afflictione medeatur.

Nunc ſi conſanguineos Pulicum inveſtigemus, à quorum vel dignitate, vel multitudine etiam ſua ad illos exiſtimatio honorque promanat.

Et natos natorum & qui naſcentur ab ipſis.

Quis

Quis unquam Regum aut Imperatorum tot ſanguine junctos, tantam ſobolem ac poſteritatem multis annorum periodis colligere potuit, quot illi unica ſæpe, non dico ætate, ſed æſtate numerant? neque tantum ſanguinis conjunctio inter propriam conſiſtit pulicum ſpeciem, ſed eò jam felicitatis extenderunt fortunas ſuas, ut vix Pontificum quispiam, aut Principum quantumvis potentium, inventus ſit, de quo uti de conſanguineo pulices gloriari non poſſint. Ut proinde, ſi ex jam dictis gratia ac potentia (ut plerumque fit) æſtimanda ſit, nihil cum iſta pulicum proſapia in comparationem venire queat. Et quisquam ſit, qui illis aut inimicitias denuntiare, aut bellum inferre audeat? Non ignoro quanta ſæpe illorum clade concertatum ſit, quot occiſi, quot captivi, inter tormentarios ungues, miſeranda clade perierint: ſed & illud teſtari poſſum, illos, velut *ab ipſo ducere opes animumque ferro*, re-

colli-

colligere ſæpè, & recipere poſt vulnera Spiritum, ſemina ſobolemque ſui relinquere, quæ hibernis, privata inter ſepta, peractis, æſtivo demum tempore inſtructiori exercitu in campum prodeant, & ſuorum progenitorum cladem animosè ulciſcantur. Quot hactenus periêre, quot adhuc ſuperſunt ex iſta progenie? hanc penitus velle tollere, ne Alexandri quidem ſit totius ferè orbis victoris. Citius Jovem Gigantes cœlo expulerint, citius agna lupos, locuſta oves, teſtudo lepores exegerit orbe, quàm hæc animalcula de mundo ſuſtuleris, quantumvis Achillea ſis, aut Herculea virtute celebratus.

Et hæc paucula ex iis ferè bonis, quæ fortunæ dicuntur, commemoranda excerpſimus. Nunc verò corporis atque animi bona (Divi immortales) quàm ſunt in re exili ingentia! citius draconem aliquem, atque animalia mole ac magnitudine admiranda meritis laudum coloribus

ribus adumbraveris, quam tenue hoc & viſum penè fugiens animalculum. Formam corporis, ac figuram natura ipſi indulſit, haud ſanè ignobilem. Non ipſi informe caput eſt, uti bubonum; non collum oblongum quale & gruum: tergus gibboſum, ut eſt Camelorum; alvus ingens, qualis buſonum, ſed proportio toto corpore eximia, in rotundum ac longum modicè vergens. Pedes nec craſſi nimium, ut elephantorum, non graciles ut araneorum, nec denique quam par ſit, numeroſiores, ut pediculorum; ſed deſultorii quatuor, quibus vel inceſſum, vel curſum, ſaltumque omnem, quàm velociſſimè aptiſſimèque moderentur. Corpus atque cutis ipſi non glabra ac turpis inſtar ranarum eſt: non ſcabra ac corticata, uti eſt teſtudinum: non aculeata ut echinorum: non hiſpida ut hircorum, non crinita demum ut canum eſt, ſed flocci tenues, vilique veſtiunt mitiſſimo vellere ac colore, qui ſubniger

niger ac purpureus eſt. Serico omni vellere hæc eſſe ſentio molliora: noſtrisque uſibus aptari poſſent, niſi hactenus tonſorum nobis textorumque deeſſet ſubtilitas, qui pretioſam hanc metant contexantque lanarum ſegetem. In proboſcide elephanti vim, viresque animanti illius admiramur; quòd hac, velut manibus, alimenta vitæ tolerandæ neceſſaria congerat, orique ac gulæ ſubminiſtret; eadem ſanè (*ſi parva licet componere magnis*) noſtro in pulice tanto potiori admiratione intuemur, quantò in minori corpuſclo vis major vigorque deliteſcit. Cùm eâdem proboſcide vulnus inferat, ac reciproca quadam vi & arte humorem exugat, fiſtuloſo ſimul ac præduro ſubtilique ſpiculo in omnem uſum ſubſerviente.

Senſibus deinde adeò vivacibus inſtructus eſt, ut viſu Lynces, auditu talpas, odoratu vultures, guſtu apes, tactu araneas quàm proximè accedere credatur. Corporis deni-

denique totius compoſitio vegeta, & humorum attemperatio integerrima. Non enim atra bile, aut melancholia abundat nimia, nec bile flava, ſeu cholera exundat, ut proinde neque triſtitia, quamvis ſolitariam vitam agat, dejectus ſit: neque ira, quantumvis laceſſitus, effervefcat; ſed aëre juxta ac ſanguine in ipſo dominante maximè laudatum à Phyſicis corporis temperamentum ſortitus ſit. Lætus ſemper, vegetus, exultabundus pervigilat, omnesque obſervat inſidias: Ut dormire cum leonibus, vigilare cum canibus inſomniis propemodum videatur.

Quid, quod valetudo ipſius nullis comperta ſit morbis atteri; ut in hoc animali, tum præſertim, cùm inter ungues exſpirat, cadere jure dicas, quod paradoxo exiſtimant, *ſine morbo emori.* Nulla enim ſcabie, aut petigine affligitur, nullis corpus infeſtatur vermiculis, podagram aut chiragram nimia potandi licentia non incurrit, venter nulla aut conſtipatione,

tione, aut diarrhæâ, niſi innoxiâ fortè, laborat, vix denique cephalalgia aut phtiſi, aliisque infamibus, ac deteſtandis morbis, ut Gallicus, ac pedicularis, habetur, interiiſſe repertus eſt. Unde neque medico, neque herbis medicis pulex utitur. Quin potius credibile eſt pulejo ſeu pulegio herbæ in medicina celeberrimæ nomen contuliſſe. Atque ipſemet medici officium præſtat in homine, cùm eo inprimis tempore, quo noxiis honoribus, æſtivo calore veritatis abundat, maximè ſecta leniter cute molliſſimè eosdem ſubducat, ut alios ab ipſo chirurgos venæ incidendæ; ſanguinisque extrahendi rationem didiciſſe meritò ſentias.

Agilitas verò quanta, quam expedita membrorum omnium ad motum alacritas! hoſtem pulex (ne trepidum parvique animi exiſtimes) nunc hac nunc illa parte invadit primus, mox ubi ſeſe imparem advertit reſiſtendo prudentis inſtar militis, receptui canit, ſeque ferè per a-

per-

pertos campos fugæ committit, Croatarum equis longe in omnem partem verſatilior; vix ut unquam ita fugiens ſit interceptus, pedibus enim poſterioribus reductis in poplites, dein enixus in altum corpore, Divi! quanta transmittit lectorum conclaviumque ſpatia! altera certè pediculorum legio, quæ homini cum pulicibus militat, & gravis armaturæ milites, habere videtur, nihil tantæ celeritati habet ſimile, quamvis à pedibus nomen ſortita.

Quod ſi verò audaciores aliqui fugam velut indecoram, reſpuant; quàm illi opportunè proxima latibula occupant, unde improviſum hoſtem rurſus aggrediantur! Ambias, diſquiras ſæpiùs, atque illas in inſidiis delitescentes, ne advertas quidem, etiam cùm adverteris. Ita in anguſtias coacti, nigelli potius atomi, quàm pulicis præ ſe ſpeciem ferunt. Imò jam deprehenſi ſuos etiam hoſtes, echini in morem contracti, deludunt. Ubi verò occaſionem diſpexêre qua

data

data porta ruunt, & adverſario indignanti, dolentiq; tergus impunè obvertunt, in campo ſemper, velut periti equites, elapſuri. Quin & artem illam tenere videntur, quâ Finnorum aliqui inſtructi memorantur, ut in oculis inſectantium ſeſe hoſtium repentinis tenebris ſubducant. Niſi forte Gygis annulo abs ſe reperto, ſingulare illud occultandi ſeſe beneficium occupaverint. Certè Achelous cum Hercule ſub variis formis pugnans, ſub una pulicis figura facilè hoſtem deluſiſſet. Ubi tamen jam interceptus pulex fuerit, ad mortem inevitabilem trahitur, (neque enim lytrum ullum pro illius redemptione acceptatur) priſtinæ ſuæ virtutis nequaquam oblitus inter captantium manus, atque ungues ad extremum usque ſpiritum obluctatur, ac ſæpè inteſtinis omnibus per vulnus effuſis, aut media etiam corporis parte ac capite revulſo adhuc dum pugnat, & animum non niſi generoſi bellatoris inſtar ponit, poſt fata, non quidem

ad cœlum inter ſidera, & terrani, inter herbas ac flores, ceu Narciſſus quiſpiam transferendus, pulegioq; nomen relicturos, quod unum maximis etiam Regibus votis fuiſſe teſtatum eſt.

Sed quid illius fatum, præmatura morte, deſcribimus, cujus virtutes, quæ in animo præcipuè locantur, vix dum delibavimus. Et verò ſi politicas in hac beſtiola virtutes quæ fieri, multa in ea laudanda invenies, quæ homini deeſſe jure optimo conqueraris. Cùm enim velut ad bellum hæ animantes natæ ſint, tamen nullis unquam inimicitiis, nullis contentionibus inter ſe diſſident, nulla de finibus concertatio, cædes nulla: armatas in ſe invicem proboſcides nunquam ſtringunt, neque dant, neque accipiunt vulnera. Et quænam hæc iſtarum laus, ac dedecus noſtrum? pulex pulicem patitur, & homo homini invidet, vitam fortunasque eripit. Quid ratio? quid leges noſtræ? quid inſtitutæ reſpublicæ? ſi absque ratione & legibus, absq; etiam rebuspublicis

eis ita vivant pulices, ut hominibus quoque ad benè beatéque vivendum exempla eſſe poſſint; ita verò in Europa vivant homines, ut Gallus, Germanus, Anglus, Hiſpanus non diverſa tantum gentium nomina, ſed & mortalium ſpecies bellis exitialibus diſſidentes videri poſſint. Nam inſignem ejus fidelitatem quis ignorat? erubeſcere multi hominum potuerunt perfidiæ pleniſſimi, quique nullam colunt, niſi ut Plutarchus, χύτρας φιλίαν, id eſt, *olla amicitiam & fugiunt cadis cum face ſiccatis.* Rari enim ſunt Theſei inter homines, qui Pirithoum ſequantur, cùm tamen inter pulices non paucos reperias, qui ad carcerem etiam, atque vincula, ad cataſtas, ad crucem denique ac mortem ipſam adhæreant ei, quocum ſemel arctam ſocietatem iniêre. Ita nimirum *amicus certus in re incerta cernitur.*

Pulex præterea, ut ſolitudinis amans eſt, ſic contemplationis ac ſilentii obſervantiſſimus videtur, quòd certè à Philoſophis illis antiquis vitæ inſtitu-

ſtitutum hauſiſſe credibile eſt, quibus perquam familiariter uſus fuiſſe, creditur, atque inprimis Diogene Cynico, quocum etiam haud dubiè vas illud celebre coluerit, ad quod ne Alexander quidem magnus, ſine reprehenſione, admitti potuit. Didicerit etiam abs Diogene plena luce obire, ac quærere homines, eosdemq; repertos mordaciter pungere. Ita quidem, ut nec Diogeni ab eo ſit parcitum; ſed ſuum in pulice mordacem Diogenem Diogenes invenerit. Paupertatis deinde ſtudium atq; amorem ab iisdem Præceptoribus pulicem hauſiſſe exiſtimem. Audierit credo illam Epiſtolam, quâ Epicurus Pytocleæ ſcripſit: *Si vis te divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum cupiditatibus.* Socratem fortè etiam meliori profectu audiverit, quàm Aſinus Ammonium Alexandrinum dicentem, *eum ditiſſimum, qui pauciſſimis contentus viveret.* Unde quidem mihi divites videntur, qui paupertatem; pauperes qui divitias impensè ſectantur. Quod in pulice noſtro

ſtro verum eſſe comperias, nullius unquam inter inopiam indigente. Cibo enim veſcitur parabili, quem natura ipſa, non inſolens præparavit induſtria. Veſtes alias, quàm eadem natura conceſſit, nunquam appetit. Ut quemadmodum Protoplaſtus quondam noſter in prima vitæ innocentiæ videatur ætatem agere.

Vos hic, Viri Anachoretæ, vos appello, & non ad formicam mitto, quò Salomon pigros deſtinat, ſi fortè is vobiscum non habitet, ut ab eo ſilentii, contemplationis, ac paupertatis præclariſſimarum virtutum exempla deſumatis, antiquiſſimis, ut audiviſtis atque experientiſſimis magiſtris uſus eſt, proindeq; ipſi in hac arte eſt credendum. Illius vos ſolitudinis taciturnitas deleƈtet, quam in pulice deprehenditis, reconditum aliquem veſtris meditatic nibus angulum quærite, Lubeat hic tenuem potiùs, obſcuramq; extra mundi ſtrepitum vitam exigere, quàm publici honoris lucem ſectari, capi illecebris, periculis objeƈtari,

ctari. Vos verò Hollandiæ Principes, viri integerrimi, nolite obsecro permittere, ne subjectæ vobis nationes in pulices innocentissimos tanta post hac immanitate grassentur, ut causa inaudita sine cunctatione, sine miseratione, sine proprii sanguinis reverentia, non tantùm patriis tectis possessionibusque, sed ipsâ etiam, quâ nihil est carius, vitâ excludantur. En supplices ad sinum vestrum confugiunt, obtestantur per jura communis sanguinis, per familiaritatem, qua vobiscum sunt usi hactenus, per fidelitatem; qua in omni vos fortuna sunt comitati, concedere hanc illis vitam, quam quondam dedistis, nec pristinam illam humanitatem vestram, inexspectata atque insolita vobis severitate corrumpite. Vestri esse ac manere votis omnibus desiderant, iisdem de quibus nati sunt tectis ac lectis foveri, illa denique hæreditate potiri, ad quam Deus & natura e vestro illos sanguine procreavit.

Finis.

(o)

APPENDIX

Continens Quæſtiones Miſcellaneas

De

PVLICIBVS

Ex Philoſophiâ, utroque Jure, & Theologiâ, tùm morali, tùm ſpeculativâ depromptas.

Quas publicæ concertationi Scholaſticæ expoſitas in Smirnenſi Sinagogâ defendendas ſuſcepêre

Duo Celeberrimi Rabini

SCHEMHAMPHORAS,

&

SCHAMHAPRES.



Quæſtio I.

QUæ ſit definitio pulicis & ad quod ex 10. prædicamentis pulex ſpectet.

Reſp. Definitionem pulicis eſſe operoſioris indaginis, quam definitionem illam Legati, quem aliquis & forſan bene definiverat, legatus eſt vir bonus peregrè miſſus ad mentiendum Reipublicæ causâ. Porrò natura & indoles præſtantiſſima pulicis diuturniori indiget examine & ſcrutinio, quam quòd tàm facilè & indubitantèr, de ea per genuinam definitionem divinari queat: videtur enim pulex terminus transcendens, eò quod pulex ſuâ levitate & pernicitate non tantùm 10. prædicamenta cum arbore porphirianâ ejusque apice facillimè tranſiliat & transcendat, ſed inſuper cum Hircocerois & Vulpoanſeribus ſpatia planè imaginaria

phantaſiæ noſtræ frequentet, & ideò totum ordinem entium realium ſuò pergrediatur, & ideò non tàm facilè ejus genus proximum & differentiam ultimam reperiemus in 10. prædicamentis. Non enim pulex eſt ſubſtantia: cum non per ſe ſtet, ſed ſemper ſaltet, cùm non gaudeat ſuppoſito id eſt incommunicabili ſubſtantiâ, eſt enim nimis quantùm communicativus ſuæ ſubſtantiæ ad homines; non eſt accidens abſolutum, cùm non maneat per inhærentiam affixum uni tantùm ſubjecto, ſed continuò naturaliter mobile de uno in aliud: non enim eſt quantitas: tum quia non admittit pondus & menſuram, tùm quia præcipuè non eſt forma tribuens corpori impenetrabilé extenſionem ſed potiùs compenetrationem ſuarum partium, cùm ad morſus & ſaltus pulicis homines labia comprimant, pedes contrahant & quaſi compenetrent. Neque eſt qualitas, cùm non habeat contrarium ſe expellens ab eodem ſubjecto, pulices enim pacificè in eodem ſubjecto

jecto compatiuntur pediculos, cimices, aliaque similia animalcula hominem amantia & humanam carnem appetentia; nisi forsan sit de genere respectivorum, quorum totum esse est, ad aliud, totum enim esse pulicis est ad hominem, ad canes &c. ut sine consortio humano diù saltem esse & vivere non possit, propterea homo visus & objectivè terminans visionem pulicis rectè statuitur beatitudo objectiva, visio autem hominis oculis puliceis inhærens, beatitudo formalis pulicum. Carentia visionis autem humanæ pœna damni, quam patiuntur pulices in cubiculis desertis ab hominibus vacuis pulicum purgatoriis existentes & suam nimiam crudelitatem in puellas luentes. Ita Dasipodius de pulicibus uxoris Loth, utrum etiam ipsi in statuam salis versi sint.

Quæstio II.

Utrum liceat morsibus pulicum resistere.

Resp. Negativè tum quia sunt satel-

lites divinæ juſtitiæ ad vindicandam peccatum originale emiſi, atqui Deo judici juſte punienti nemo licite reſiſtit, ſed in conſcientia parere tenetur: unde qui puliçibus reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit. Tum quia conſtat, pulices nil aliud agere quàm extrema neceſſitate & fame compulſos de noſtris ſuperfluis victum & vitæ neceſſaria quærere: atqui extremè indigenti non ſolùm non licet ſuperflua noſtra denegare, aùt impediendo, reſiſtendo ſubtrahere, ſed ultrà, ipſimet ſaltem ex charitate eadem offerre tenemur, cum extrema neceſſitas omnia communia faciat. Ita Petrus Hoſenlucas de jure Stillicidii in ſuas & alienas Caligas.

Quæſtio III.

Utrum pulicidium ſit peccatum occiſionis ſimplex aut qualificatum.

Reſp. Eſt qualificatum. Imprimis eſt contra pietatem conſanguineis proximè conjunctis ſpecialiter debitam, 2do eſt contra virtutem Religionis, quia contra obedientiam & reverentiam

tiam his miniſtris & emiſſionariis di-
vinæ juſtitiæ debitam. 3tio, eſt occi-
ſio proditoria ex inſidiis, quâ iner-
mibus his animalculis plerumque ni-
hil mali ſuſpicantibus & de ſua inno-
centia confiſis ipſum jus & occaſio
propriæ defenſionis præcluditur. Vul-
go Meuchel-Mord.. 4to. Conti-
net ſpeciem aſſiſſinii, dùm ancillæ ſe
mercede & pecunia conduci permit-
tunt ad pulices ſuarum dominarum
occidendos, & ſic vitam illorum
longè prætioſiorem ac altioris ordi-
nis bonis & theſauris mortuis fortu-
næ poſtponunt. 5to. pulicidium de-
generat in Tyrannidem & abuſum
illius juris, quod habemus in vitam
aliorum animalium, ſiquidem puli-
ces non viâ facti in continenti uti pe-
diculi & alia animalia ſed cùm ex-
tra ordinariis ludibriis & cruciatibus
per diuturnas convulſiones inter di-
gitos occidantur & tardè mori com-
pellantur. Ita Capraſius Buccalini
de 4ta & ultima monarchia pedicu-
lorum & pulicum in magnis illis brac-

cis seu Caſtris Helveticis vulgò Schweitzer-Höfen erecta. Sempronius de jure quod habet fiscus in pulices vacantes seu derelictos.

Quæstio IV.

Utrum liceat contra proprios pulices in mordendo deprehensos & transfugas criminaliter agere vel ad causam sanguinis testari contra ipsos.

Resp. Negativè per textum clarum: L. 4ta ff. de testibus. Ex quâ contra sanguine vel affinitate junctos testari prohibemur, aut saltèm ad testandum cogi non possumus, sed pulices proprii id est ex nobis & nostro sanguine & non aliunde descendentes sunt nobis in primo gradu lineæ rectæ conjuncti, siquidem ita immediate à nobis & nostro sanguine descendant, quod nulla alia distincta persona aùt generatio mediet: ergò contra illos criminaliter ad causam sanguinis testari prohibemur vel saltem ad testandum cogi non possumus. Ita Caspar Laugensack wohlgeübter Prättschenstecher bey der lidernen Baß-Gei-

Edgin in Wien). Hœres ex aſſe multorum millium pulicum.

Quæſtio V.

Utrum pulicupium liceat diebus feſtis aut Dominicis.

Reſp. Negativè nam ex cap. 1. & ultimo de feriis diebus Feſtis & Dominicis omnes ſtrepitus, proceſſus, & actus; judiciales ſilère debent, atqui pulicupium continet ſtrepitum & actum judicialem, ſiquidem pulices authoritate publicâ juris gentium velut malefactores capiantur, & ad pœnam mortis latæ ſententiæ in flagranti ſubeundam rapiantur: ergo pulicupium pro diebus Feſtis & Dominicis non licet, ità Kaunzius de pediculorum & pulicum jure aſyli in caligas & tibialia. Laws de novis Coloniis pulicum in Miſſiſipium introducendis pro promovendis & exaltandis actiis. Porcius feſtus de cambio pulicum, utrum ſapiat cambium ſiccum ſolvere pediculum pro pulice à campſore in loco præſente ſine labore & periculo ejus accepto,

quem ſe finxit per litteras in diſtanti loco cum ſuo labore & periculo amittendi ſortem principalem procuraſſe. Neque dicas Diebus Dominicis & feſtis licet venatio, piſcatio, vel aucupium, ſiquidem non ſint opera ſervilia ſed opera communia Dominis & ſervis, atqui pulicupium communiter dici ſolet venatio, piſcatio vel aucupium: ergo pulicupium diebus feſtis & Dominicis licet, minor patet ex his duobus verſibus pulicupium & pedicupium ænigmaticè deſcribentibus.

In denſis Sylvis venor bis quinque catellis
Quod capio, perdo. Quod non capio mihi ſervo.
(ſeu mihi acquiro)

Reſp. Negando minorem. Venatio enim eſt animalium ferarum, ubi pulices animalibus domeſticis, manſuetis & cicuris annumerantur, ergo pulicupium non eſt proprie venatio, ſed venatio, piſcatio & ſimilia ſumuntur hic metaphoricè, ſicut metaphoricè

phoricè ludebat ille, qui ſuo bono amico ab infirmitate reconvaleſcenti gratulari volens eidem in hunc modum ſcribebat. Pinquiſſimo lætitiæ butyro perfuſus ſum, & ex intimo cordis mei lyripippio gratulabundus accedo, quod tandem furcâ reconvaleſcentiæ tuæ ſimum morborum tuorum ex ſtabulo cordis tui ejeceris, ingens admirationum nubifragium mentem meam ſubiit, quod tam diu vulvam calami tui concluſeris, ne partum aliquem litterarum ad me edere potuerit &c. ita Caſimindus de pœnis pulicupæ venantis in alieno fundo inſcio & invito Domino, utrum ſi delictum augeat, poſſit ad Triremes mitti, oder auf den Knöbl-geſetzt werden. Smetius de jure pulicupii, utrum pertineat inter jura Regalia vel privatorum, inter jura Eccleſiaſtica vel ſæcularia ſitque ſine ſimoniâ pretio vendibile.

Quæſtio VI.

Utrum Religioſi Profeſſi, qui vi ſuæ pro-

professionis omnia jura in res temporales abdicarunt, possint retinere jus gladii seu vitæ & necis in suos pulices, ut illos saltem quoad forum externum licitè, impunè occidant, quod enim concernit forum internum conscientiæ, jam monstratum est Pulicidium non licere, & à quo hoc jus petere debeant.

Resp. ad primum affirmativè cùm tantùm sit jus jurisdictionis non jus proprietatis, Religiosi autem per votum paupertatis in professione tantùm deponunt omnia jura proprietatis in res temporales, non omnia jura jurisdictionis, ut per se patet.

Resp. ad secundum. Cùm hoc jus gladii sit materia jurisdictionis & potestatis sæcularis, omninò à potestate sæculari petendum erit, non à Pontifice aut potestate Ecclesiastica, exceptis territoriis illis, quæ etiam quo ad Dominium temporale politicum superioribus Ecclesiasticis subjecta sunt, & inqua illi, etiam jurisdictione temporali politicâ gaudent.

Ita

Ita Petrus Lorea de Saltibus pulicum in Leviathan inflato, utrum ſint artificiales & regulares juxta tonum hujus fiſtulæ vulgò Dudel-Sack oder Sack-Pfeiffen. Pedemontius de transmigratione pulicum per hyemem in alienas terras ultra mare rubrum.

Quæſtio VII.

Utrum ſi Adam non peccaſſet, pulices veniſſent.

Reſp. Affirmativè, pro ornamento, decore & integritate hujus univerſi. Tum quia non videtur fas artificium tam venuſtum tam excedens comprehenſionem noſtram, uti eſt ſtructura pulicis, propter ſolum peccatum accidentalizatum fuiſſe. Tum quia in ſtatu innocentiæ fuiſſent capilli, quia ſunt excrementa, quæ deſerviunt pro ornamento hominis, ergo fuiſſent etiam excrementitii pulices, quia deſerviunt pro ornamento & varietate totius univerſi creaturarum, quia per hæc minima animalcula eorúmque integros vivaces quinque ſenſus vel maximè præ

præ cæteris creaturis divina omnipotentia nobis ad ſtuporem commendatur. Quare non eſt, unde Atheus ille Poëta canat.

Sapè mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent ſuperbi terras, aut illus ineſſet
Rector? & incerto fluerent mortalia caſu?

Huic enim benè reſpondit Chriſtianus quidam Poëta.

Emicat ex ipſis divina potentia rebus
Et levis eſt pulex, qui probat eſſe DEum.

Item alius.

Eſſe DEum ſcimus, ſi quid ſit? Scire velimus,
Supra nos imus, nam quod ſit ſummus & imus,
Ultimus & Primus, ſcimus plus ſcire nequimus.

Tum quia. Si Adam non peccaſſet, omnes nos & noſtri conſanguinei ſaltem non reprobi veniſſent (quod ultimum additur propter ſententiam Scoti, ſecundùm quam reprobi moderni in ſtatu innocentiæ non

non veniſſent) ſed pulices ſunt conſanguinei noſtri non reprobi, ſeu non reprobati, non damnati à Deo: ergo pulices noſtri veniſſent, etſi Adam non peccaſſet. Advertendum tamen, quod pulices pro eo tunc caruiſſent proboſcide ſeu aculeis & roſtris, quibus nunc ut Miniſtri juſtitiæ ad vindicanda peccata puellarum armati & inſtructi ſunt, & eorum loco moliſſimas habuiſſent linguas, quibus non cùm minori teneritudine quàm defacto catuli pulvinares puellis blanditi fuiſſent. Ita Schwepperman de remediis aſceticis contra graviſſimas tentationes & nimium amorem carnalem pulicum erga fœminas.

Quæſtio VIII.

Utrum pulicibus liceat Polygamia ſeu pluralitas uxorum.

Reſp. Affirmativè, & hoc ad multiplicandam & conſervandam ſuam gentem pro decore & varietate univerſi, ad reſiſtendum ſuis hoſtibus & injuſtis aggreſſoribus, ſecus enim gens illo-

illorum propter quotidianas ingentes clades, brevi tota attereretur; Hinc merito Virgilius de hac numerosâ & veterana gente admirabundus fistulavit

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

Ita Martyrologium pulicum, de pulicibus cœlibatum profitentibus. Georgius Podipraz de Hermaphroditis pulicum utrum eis liceat alternare sexum in contrahendis matrimoniis. Cuspius de processibus matrimonialibus inter pulices Heterogeneos.

Quæstio IX.

Utrum matrimonia pulicum parochi, quæ in caligis ipsius, aliisque latebris seu occultis locis contrahunt inter se, sint clandestina.

Resp. Negativè. Contrahuntur enim præsente & sciente Parocho, qui abundè sentit saltus contrahentium convivarum sufficientia signa nuptiarum initarum. Ità Scheidwinus de Spadonibus pulicum uno vel utro-

utroque teſticulo orbatis, de pulicibus frigidarum vetularum, utrum frigidis & maleficiatis & ideo perpetuo impotentibus annumerandi ſint.

Quæſtio X.

Quo jure pulices ſemper Pullati ſeu nigri incedant.

Reſp. Jure conſuetudinario patriæ ad lugendos conſanguineos & protoparentes ſuos quotidie in magno numero occiſos, præterea etiam pulices Clericorum de Jure Canonico ad retinenda privilegia fori & canonis hanc ſuam nativam Cleram portare tenentur, quam pulices furtivi lac aut lacticinia deprædantes & pervagantes, ſi amittant, etiam privilegia amittunt, quod capi & occidi queant. Ita Silveſter, de pulicibus hirſutis ſatyrorum, utrum comam & barbam nutriant.

Quæſtio XI.

Utrum pulices Zingarorum inter Zingaros ſeu vagabundos computandi ſint.

Reſp.

Resp. Affirmativè, etsi enim constanter uni eidem Domicilio affixi hærèrent, hominémque suum non deserant, quia tamen illud continuò locum mutat, etiam ipsi inquilini vagabundi evadunt. Argumento L. 275. Celsus ff. ad municipalem & de incolis. Sicut vagabundus reputaretur limax, qui continuo cum sua eâdem domo de uno loco in alium, de una Parochia in aliam, de una Diœcesi in aliam migraret, ita Sophar Halicacabus de pulicibus Judæorum in transmigratione Babilonicâ, utrum & ipsi omnes in catenis captivi abducti sint.

Quæstio XII.

Quibus legibus pulices vagabundi teneantur.

Resp. Legibus castrensibus militiæ levis armaturæ & legibus artis saltatoriæ, quando enim pariunt, pariunt filias saltantes, undè sunt omnes nati Chorægi id est Magistri artis saltatoriæ associandi propterea rusticis illis Tyrolensibus vulgò Heggethei-

ner

nec vocatis, qui dici ſolent nati fidiceries ex utero matris. Ita Joviaſter à Kazenbach. de centro naturali pulicum: quod eſt, umbilicus fœminæ, utrum extra hunc ſint in ſtatu violento.

Quæſtio XIII.

Utrum pulices antipodum ſint antipodes, & ſuis pedibus noſtris oppoſiti.

Reſp. Affirmativè. Siquidem & pulices in terris antipodum numerentur inter gravia, quorum locus terra eſt, cujus ibidem obverſam nobis noſtrisque pedibus partem ſuam calce premunt. Ita Paphnutius Barbatus in ſua ſecunda apocalypſi de locuſtis & pulicibus cataphractis & grandibus vulneribus, quæ puellis quandoque tempore Antechriſti inflicturi ſunt.

XIV.

Utrum pulices furum aliarúmque infamium perſonarum ſint infames.

Reſp. Negativè, ſed retinent ſuam ingenuam honeſtatem, quam ex origine

gine præ pediculis habent: eſt enim nota g. J. ex cap. quærivit ,, de his quæ fiunt à majori parte nemo punitur pro delicto alterius. Item delicta parentum non debent nocere prolibus, pulices autem numerantur inter quaſi proles & partum noſtrum tum quia ex jam dictis pulices nihil auferunt niſi noſtra ſuperflua, quæ extrema fames & neceſſitas eis communia facit, unde non contrahunt infamiam furti, & licet ſimul cum furibus ſuſpendantur, quia tamen adhuc etiam in patibulo ipſis plena libertas relinquitur ſe honeſtis viris eorumque conſortio inſinuandi, ut Confeſſario fures educenti, ſpectatoribus propinquis, qui ſæpe à furibus eorum pulices ab inteſtato reportant, hinc ſignum eſt, quod honeſti maneant, & locus patibuli eorum famæ vel honori nil præjudicet. Cujus ratio à priori eſt: quia pulices furum frequentant patibulum mere materialiter ſicut ex. gr. Muratri aliique honeſti opifices Patibulum

bulum ædificantes aut collapſum re-
parantes, & hoc quidem pulices ex
innatâ virtute fidelitatis ac gratitudi-
nis erga hominem ſuſpenſum, à quo
educati & nutriti ſunt, & propterea
usque ad ultimum ſpiritum eidem aſ-
ſiſtere cupiunt, non verò frequen-
tant patibulum formaliter ut tale, ut
locum infamem ſuplicii, cùm nil
peccaverint ſed materialiter ut mu-
rum præcisè, neque patibulum fu-
res, ſed potiùs fures eorumque cau-
ſa patibulum infame reddunt. Ita
Doctor Kniknack archicriticus Flo-
landiæ de Hemiſtichiis & crepundiis
parvulorum pulicum. Doctor Kni-
knack ſunt canes, quia hunc tonum
edunt, dum pedibus poſterioribus
ſuos pulices excutiunt.

Quæſtio XV.

Quo jure pulices habeantur hone-
ſtiores pediculis.

Reſp. Inprimis jure adoptionis, ſi-
quidem à Summis Principibus &
nobilibus totius orbis inter familia-
res & familiam Domeſticam permiſ-

sivè saltem adoptati sint, quâ gratiâ carent pediculi, qui tantùm ex privilegiis mendicantium eosdem frequentare audent, ab aulis autem & Palatiis magnatum ac nobilium perpetuo à potiori saltem exulant & cùm horrore ac ignominia ejiciuntur. Excepto quod quandóque per accidens de rariori contingenti & furtivè se iisdem in castris insinuare præsummant, quod non sufficit ad illos cohonestandos. Secundò jure gentium, cùm enim commercium hujus blandi Philantropici & socialis animalculi sit omnibus hominibus etiam Summo Pontifici, Augusto & Augustæ inevitabile consultius visum fuit ea communi consensu omnium gentium pro honestis haberi & declarari pediculis in sua infamitate relictis, qui facilè ex toto vitari possunt & à multis per diligentiam vitantur. Tertiò jure generationis, quia pulices gaudent honestiori & nobiliori generationis prærogativa quam pediculi, cùm enim pulices

sint

ſint Jovialis, alacris & ſaltabundi geniſ, hinc videntur ut plurimum materiam ſuæ generationis deſummere ex calido ſanguine noſtro nobiliſſimo liquore, & ideò dulces adeò apparent, quod puellæ rubricas ſanguinis pulices ſuis digitis adhærentes ſummo guſtu lambere ſoleant, niſi id crudelitati & ſanguinolentiæ puellarum attribuendum ſit: econtra quia pediculi melancholicæ complexionis, depreſſi moroſi genii, & tardi greſſus exiſtunt ex Pituita, Phlegmate viſcoſo, Scarburico Sanguine noſtro & craſſis humoribus materiam ſuæ maſſæ deſummunt. Quartò Jure inceſſus: pulices enim honeſtius incedunt quam pediculi, quia pulices in ſua nigra ſenatoria toga æmulantur colorem aulicum cameræ, econtra verſicolor Hiſpida pellis pediculorum ſordidas potiùs leproſorum mendicorum peras & quisquilias imitatur. Ita magiſter Polychronius Baccalaureus formatus ex baccis fabarum de numero menſurâ

& pondere pulicum, quot centenariis orbis terracleus minùs ponderaret, ſi omnes pulices cùm ſua gleba ex illo auferentur. Sergius de trina dimenſione longitudine, latitudine, & profunditate pulicum ſecundùm ulnas ſartorum.

Quæſtio XVI.

Utrum pulices urbani ſeu civitatenſes ſint politiores & civiliores ruſticanis & oppidanis.

Reſp. Affirmativè. Nam civitatenſes ſæpiùs mutant munda induſia & caligas, ruſticani autem ſemper iisdem ſorditatis inhærêre coguntur, quamdiu durant. Ita Lucas Pogibonzius de reſtitutione pulicum ſpoliatorum, de pulicibus minorennibus, utrum gaudeant beneficio reſtitutionis in integrum, dum per fraudes puellarum circumventi, capti & in ſuis juribus mordendi læſi ſunt. Ubi affirmativam reſolvit univerſim de omnibus argumento ex cap. 1. & 2. de reſtit. in integ. ex quibus & etiam variis locis juris civilis respublica gau-

gaudet beneficio minorum, ſi in ſuis bonis & juribus læſa fuerit, ſed pulices omnes in ſimul conſtituunt rempublicam, in qua jus mordendi ſpectat inter jura & bona publica totius reipublicæ & communitatis: ergo gaudent beneficio reſtitutionis in integrum, ſi in eo læſi aut circumventi fuerint.

Quæſtio XVII.

Utrum pulices infidelium ſint ſubjecti Eccleſiæ ſeu Pontifici.

Reſp. Affirmativè de pulicibus infidelium in terris Pontificiis habitantium, ut de pulicibus Judæorum Romæ, quia conſtituunt ibidem ſuum Domicilium aut quaſi Domicilium, hinc ſortiuntur forum loci ratione Domicilii argumento à L. 7. Cod. de incolis. Ita Trullench de pulicibus Cardinalium utrum inter Domeſticos eorum numerandi ſint.

Quæſtio XVIII.

Utrum pulices magis appetant formas nobiliores quàm ignobiliores puellarum, magis puellas juvenes

& albicantes, quàm rancidas & lippas fagas aut vetulas ex noſocomiis.

Reſp. Affirmativè eadem planè ratione quâ ſecundùm Phyſicos materia prima pulicum magis appetit formam ſubſtantialem nobiliorem ex. gr. pulicis, quam ignobiliorem infamis pediculi, totum enim compoſitum ſubſtantiale pulicis non eſt deterioris guſtus aut conditionis quàm materia prima pars illius. Ita annales pulicei de admiranda propagatione pulicum inter continuas cruentas perſecutiones à caligulis ſic dictis à caligis, in quibus pulicum lanienas exercent.

Quæſtio XIX.

Utrum pediculi & pulices ſint ſimul duo Domini in ſolidum ejusdem corporis, quod obſident, quo ad jus mordendi, pungendi &c.

Reſp. Affirmativè cum jure tamen præventionis, ut qui alium mordendo & pungendo præverterit pro hac vice & quo ad hunc actum punctu-

punctuæ prævaleat, per quòd nil tollitur de pleno jure & poteſtate pungendi, in qua Dominium plenum eſſentialiter conſiſtit, ſed tantum exercitium actuale illius per prævention̄em in prævento impeditur, eadem ratione, quâ Dominium plenum jurisdictionis in cauſis mixtis ſtat cum jure prævention̄is permanenter ſimul penes duos, penes Judicem Eccleſiaſticum & ſæcularem, ut qui alterum in inchoando judicio prævenerit, quoad hunc actum ſine alterius injuriâ prævaleat, tùm quia poſſunt duo ſimul cum jure prævention̄is habere permanenter pleniſſimum jus perſonale inſolidum contra eundem debitorem, ad eandem rem tradendam ex. gr. caſu quo Petrus duobus ſimul cuilibet cùm pleniſſimo independenti jure petendi ab ipſo promiſit eundem equum, hac tamen conditione, ut qui actu petendo prævenīat, prævaleat & eum obtineat, in quo nulla certitur repugnantia: ergò etiam

poſſunt duo in ſimul pediculus & pulex in idem corpus habere plenum in ſolidum, ac mutuo indepeudens jus reale mordendi, pungendi, hac tamen conditione, ut qui prævenerit, alteri prævaleat, ita Doctor Budlerus de feſto Scenopegiæ vulgò Laubehütten-Feſt/ quod pulices per dies caniculares in campis Eliſiis puellarum & canum caudis celebrare ſolent.

Meminerint tamen nigri iſti Partiſani ſeu levis armaturæ milites nimirùm pulices ſtatuti illius militaris, quod deſcendentium ad proelium & remanentium ad ſarcinas æquanda ſit portio, ut propterea cùm pediculis ſarcinas nigras portantibus ſuisque collactaneis prædam captam in æquales ſemper dividant pacificè portiones. Pediculis porrò & pulicibus ſuccedunt in ſolidum vermes affines eorum ſecundùm æquam diſpoſitionem teſtamentariam pauperis illius ſtudioſi à pediculis & pulicibus corroſi in ſuo epitaphio, quod ita ſonat. *Mul-*

Multipedes, pulex, cimex, mala turba valete.

Sat vobis nimiumque datum eſt, jam nutrio vermes.

Quæſtio XX.

Quid de jure præcedentiæ inter pulices, cimaces, & pediculos commenſales & contubernales in eodem domicilio, dum in publicum prodeunt.

Reſp. Pro pace fraternâ conſervandâ debent obſervare jura ancianeitatis & ſecundùm ea bini & bini procedere, ut nimirùm qui priùs poſſeſſionem inchoaverit, ibique ſuum Domicilium conſtituerint, cœteris velut honoratiores præcedant, ſenioribus enim competit honor, per notam R. J. qui prior tempore potior jure: cœterum ſi omnes ſimul uno eodem tempore ibidem pedes ſuos fixerint, omninò jus præcedentiæ præ omnibus competit pulicibus, eo quod ex jam dictis communi conſenſu omnium gentium habeantur honeſtiores & honoratio-

res cœteris illis ſocius. Ita Stichius de cruentis repreſſalibus, quæ quondam exercuêre pulices circa poſteriora ſartorum & ſutorum infenſiſſimæ gentis.

Quæſtio XXI.

Utrum pulices in bello amiſſi jure poſtliminii ad ſuos priſtinos Dominos revertantur.

Reſp. Affirmativè niſi pedes in bello amiſerint, aut decimus quisque illorum ſecuri percuſſus fuiſſet, ratio eſt ex L. poſtliminium ff. de captivis & poſtliminio reverſis, Poſtliminium eſt jus amiſſæ rei, recipiendæ ab extraneo & in priſtinum ſtatum reſtituendæ legibus moribusque conſtitutum, dum ſcilicet per bellum res noſtræ ad extraneos devenêre: unde ſecundùm J. C. poſtliminium idem ſignificat quod pòſt limen, quia res noſtræ limen noſtrum egreſſæ, dum ab hoſtibus vel extraneis ad nos redeunt, pòſt ad idem limen rediiſſe videntur: atqui pulices in bello amiſſi & ab hoſti-

hoſtibus vel extraneis occupati inter res noſtras familiares & domeſticas, inter ſupellectilem noſtram pertinebant: ergo jure poſtliminii ad nos reverti debent, tùm quia ex inſtit. quibus modis jus patriæ poteſtatis. Si ab hoſtibus: jus poſtliminii datur etiam ad proles noſtras bello amiſſas recuperandas: ſed pulices reputantur inter partum noſtrum & ſaltem quaſi proles ergo: ità Strozius de compoſitione continui in pedibus pulicum, utrum ex indiviſibilibus aut diviſibilibus in infinitum per totam æternitatem componantur.

Quæſtio XXII.

Quo jure fœminæ & canes plus cæteris pulicibus abundent.

Reſp. Jure Evangelico, omni habenti dabitur & abundabit, ab eo autem, qui non habet & quod habet auferetur, ab eo Lucæ 19. ità Sturmius de impenetrabili extenſione pulicum, dum ſe quatuor pedibus ſimul ad mordendum infigunt.

Quæſtio XXIII.

Quo jure pulices ſemper fugitivi, ſaltabundi & ad fugam parati incedant.

Reſp. De conſilio Evangelico. Si perſecuti vos fuerint in unâ civitate fugite in aliam, non conſummabitis omnes civitates donec veniat qui mittendus eſt, id eſt carnifex, qui vos perimat. Minùs ſaltem offendet aures criticorum intelligentia prophana horum textuum, quam illius in Pſalmo ſeptimo incidit in foveam quam fecit. Quem quidam expoſuêre de inceſtu Patris cùm propria filia. Ita Porcenſes de rarefactione & condenſatione pulicum, utrum etiam fiat per ingreſſum & egreſſum corpuſculorum ſicut in fœminis.

Quæſtio XXIV.

Utrum facilius generetur ex pulice corrupto pediculus, quam ex pediculo pulex.

Reſp. Affirmativè ſicut facilius fit ex curſore defatigato auriga, quam ex auriga quieti aſueto curſor, ratio

à prio-

à priori materia prima pulicis per continuos ſaltus delaſſata facilius portat formam ſubſtantialem quieti, ſtativi, Hyberni animalis, ſicut eſt pediculus, quàm inquieti, ſaltabundi, & velitaris, uti eſt pulex. Ita Zoilus de diſtinctione Scotiſticâ, utrum minor adhuc & ſubtilior diſtinctio admittenda ſit inter formalitates pulicum, quàm Camelorum vel onagrorum. Lexicographus pulicum de microſcopio, in quo formalitates Scotiſticæ pulicum clarè videri queant. Neque refert, quod natura ſemper procedat à formis imperfectioribus ad perfectiores, & quod materia prima pulicis magis appetat formam ſubſtantialem pulicis tamquam nobiliorem quàm pediculi.

Reſp. Ad primum id verum eſſe in formis ſubordinatis, uti eſt forma mixti & forma animæ: non verò ſemper in formis diſparatis, uti eſt forma pulicis & pediculi, ita ex corpore hominis corrupto generatur terra & cinis,

Resp. Ad ſecundùm materiam primam ſuum appetitum ſinè violentiâ ſubmittere exigentiæ univerſi & cauſarum naturalium.

Quæſtio XXV.

Utrum pulices gaudeant tertiâ entitate Scotiſticâ.

Resp. Negativè, non enim ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate, nulla autem eſt neceſſitas hujus tertiæ entitatis pulicæ à partibus ſimul ſumptis realiter diſtinctæ, cum totum compoſitum ſubſtantiale pulicis ſinè tertiâ entitate aliâ ſuperadditâ ſatis mordeat & pungat, præterea ſi pulices in ſe portarent hanc ingentem molem tertiæ entitatis Scotiſticæ, quæ tot grandia & craſſa capita Philoſophorum ſuppreſſit & contrivit, quod eam capere & portare non poterant, non eſſent pulices ita leves, agiles & expediti ad ſaltandum; ergo evidens eſt, quod eam non includant. Ita anatomicus virtualitatum ſeu formalitatum Thomiſticarum, utrum tenelli pulices per abſtractio-

nes

nes metaphyſicas earum in intellectu ſuam pellem amittant. Et ideò Metaphyſici excoriatoribus annumerandi ſint. Affirmat citatus author & credit, quod fermè omnes illæ chirothecæ, quas metaphyſici in gradibus ſui Magiſterii ſpectatoribus diſtribuere ſolent, ſint de pellibus pulicum ita Philoſophicè excoriatis.

Queſtio XXVI.

Utrum liceat pulices catenulis alligatos lucri gratiâ vendere.

Reſp. Per ſe loquendo negativè, tùm quia captivitas perpetua æquiparatur in morali æſtimatione pœnæ mortis ſed ex dictis pulices non promerentur pœnam mortis, ergo neque captivitatem perpetuam, neque eſt paritas de aviculis cæterisque animalibus, quæ pro noſtro libitu ſua libertate privamus, cùm ex præcedentibus dictis ibidem ſpeciales ſtent rationes in favorem pulicum, utpotè quod ſint ſatellites Divinæ juſtitiæ, reo autem vel condemnato non licet ſatellites præſertim ſupremi

mi Judicis & executores ſententiæ ipſius captivare aut injuriare &c. tùm quia eſt nota R. J. nemo poteſt cum alterius jacturâ locupletari: ergò nemo cum jacturâ aureæ libertatis his animalculis à naturâ conceſſæ ſuum lucrum quærere poteſt, ſed quemlibet potiùs meminiſſe oportet pulchræ illius & generalis de malè partis admonitionis.

Si vives, & cupis quâ vir as,
Non capias vives, ut rapias vi as.

Tum quia tandem non licet captivare pauperem extremâ neceſſitate compulſum, dum quærit quæ ſua ſunt, quæ extrema neceſſitas & fames ei communia facit, atqui ex dictis ita ſe gerunt pulices, dum nos mordent & pungunt: ergò non licet eos captivare aut catenulis alligare.

Dixi per ſe loquendo, ſi enim familiaris iſte ſpiritus pulex delinquat contra jura Domicilii & hoſpitalitatis, ut ſi imitetur ſpiritum illum nequam cacadæmonis, de quo Lucæ 11. ita habetur, Cùm exierit de homine

mine quærens requiem & non inveniens dicit, revertar in Domum meam undè exivi, & cum venerit eam Scopis mundatam, tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Tunc utique licebit vagabundum hunc tenebrionem cùm suis hospitibus intrusis pro exemplo & terrore aliorum catenulis alligatum in publicum producere, aut eis ostium occludere & libellum repudii dare : est enim denuò nota R. J. Damnum quod quis suâ culpâ sentit, sentire non videtur. Ita Zechius de admirandâ metamorphosi, quâ pulices enecati convertuntur in herbam pulilegium nomine.

Quæstio XXVII.

Utrum mutuum pulicum, quod facilè contingit in commodato caligarum, tibialium &c. sit usurarium, si in illo 10. aut 20. pulices pro 100. ultra sortem principalem accipiantur seu recipiantur.

Resp.

Resp. Negativè. Regulariter ſemper adeſt damnum emergens nimirum periculum amittendi ſortem principalem propter volatilem fugitivam indolem hujus animalis & lucrum ceſſans, ſiquidem fœnerator mutuans ipſemet totidem aut plures cum duplicato fœnore lucrifacere potuiſſet. Unde Clerici tenebuntur de his ſuis capitalibus pulicеis ad intereſſe poſitis contribuere ſubſidia ad bellum & expeditionem contra turcas, ſi decimæ de bonis Eccleſiaſticis promulgentur & concedantur. Præſertim ad hæc abundantius concurere & contribuere poterunt Patres caſtrenſes, qui abundant ſimilibus capitalibus & cùm teſte Suetonio Veſpaſianus Romæ ex urina humana vectigal commentus ſit, de cujus menſurâ & quantitate exactè conſtare non poterat, quidni etiam fœminis moderatum aliquod pedagium vulgò Fleiſch- oder Floh-Kreutzer pro pulicibus quotidiè jugulatis in pedes ſingulorum imponi poſſet, cùm

cùm de numero eorum saltem superficialiter ûber hâbs Divinari queat, uti enim Juv. Satyri 14. in nostra tempora.

- - - - Lucri bonus est odor ex re
Qualibet illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dis atque ipso Jove digna Poëta.
Unde habeas, quærit nemo: sed oportet habere.

Immò quod suprà monopolium pulicum catenulis artificiosè alligatorum tamquam suprà rem frugiferam census realis constitui possit, non est dubium: unde liquet hæc animalcula non esse adeò sterilia ab omni utilitate & præcisè ad hominum lanienam nata, quod eis justè exprobrari posset. Satyricum illud Virgilii Lib. 3. Æneid.

Tristius haud unquam monstrum nec Sævior ulla
Pestis & ira Deum Stygiis se se extulit undis
puliceo Lemurum vultu.

Ita

Ita venerabile Acciſs Collegium de arte phlebotomandi ſimul & ſemel totam Provinciam unico ictu. Das löbliche Accis-Collegium von der berühmten Kunſt einem gantzen Land auf einmahl Ader zu laſſen mit einem Schlag. Blaſius Storchenſchnabl de naſis impoſititiis Tropeæ & jure Tellioniorum ſuper ipſos.

Quæſtio XXVIII.

Utrum pulices ſint etiam utiles ad medicinam.

Reſp. Affirmativè, pellunt enim Lethargum & ſunt alexipharmacum contrà opium.

Quæſtio XXIX.

Utrum podagrici podagram poſſint tranſplantare in pulices ſuos, ſicut illam quandóque à ſe in ſuos canes Domeſticos hæreditarie transferunt.

Reſp. Utile hoc foret inventum pro bono communi ad compeſcendum hoc perpetuum mobile ſaltem ad tempus per dies caniculares, in quibus nimium quantùm tripudiant.

Ita-

Itaque ex Doctiſſimo Patre Franciſco Tertio de Lanis in ſuo tractatu de transplantatione morborum ex parte alterius animalis, ut ſit ſubjectum aptum, in quod homo poſſit transplantare ſuum morbum, requiruntur tres ſequentes conditiones. Primò debet eſſe animal domeſticum, quod cum homine familiariter degat, aut ſaltem ex illis, quibus ægrotus nutriri conſuevit, ita enim efficitur, ut major ſympathia intercedat inter hominem illum & animal morbi receptionum, adeóque facilius morbifica effluvia, quæ ægroto infeſta ſunt, animal illud in ſe recipiet, ob ſimiles ſpiritus, quibus qualitas morbifica adhæret. Hæc conditio quo ad primam partem quod conveniat pulicibus & quidem magis quàm canibus aliisque domeſticis animalibus per ſe manifeſtum eſt, ac etiam quoad alteram partem, quia ſaltem pulices nutriuntur ex homine licet non è converſo & hoc ſufficit. Secunda conditio, ut ſit ejusdem

natu-

naturæ & temperamenti cum homine, quàm etiam credo pulicibus convenire propter ſimilitudinem alimenti ſui cum quatuor humoribus hominis, ex quibus illud ſugunt, propter quam pulices hominis Cholerici ad Choleram, Phlegmatici ad Phlegmaticam naturam accedere credo. Tertia conditio eſt, ut eligatur unum aliquod animal ex iis, quæ eodem aut ſimili morbo laborare ſolent. Hinc putat gallum gallinaceum ſubjectum aptum ad transplantandam & recipiendam podagram hominis, ſi cùm eo in lecto decumbat, hanc conditionem fateor deeſſe pulicibus, qui agiliores longè ſe oſtendunt, quàm quod poſſint prudenter podagrici credi: verùm utrum hæc conditio ſit abſolute neceſſaria, anceps hæreo, ſiquidem nulla ſit fama de formicis, quod hectica febri laborent, & tamen citatus author teſtatur, quod hecticam ſeu emaciationem corporis ab aliquo homine in formiças transplantaverit

per

per ovum in urina patientis hectici usque ad duritiem elixum apud ignem ac undique perforatum & in cumulum formicarum ab eis consummendum defossum: ergò etiam pulices hominis podagrici, etsi per se podagra non laborent, eam recipere possunt ab homine, si debitè partibus podagricis earúmque evaporationibus applicentur. Ita Helmontius de fistulis, rupturis, & cruris fragiis pulicum per frequentes saltus aquisitis. Paulus Castrucius de pulicibus lippis & Phlegmaticis & de cauteriis eisdem apponendis. Pomponius de strummis & bombis pulicum à posteriori vulgo Floh-Furtz und Schnecken-Füß/ & de anatomia eorum.

Quæstio XXX.

De effectu sympathetico morsus pulicei.

Resp. Sicut morsus Tarantulæ animalis in apulia aranææ similis (quod ex sua natura peculiari sono musico seu fidium concentu delectatur) habet

bet hunc effectum ſympathetic̃um, ut qui ab hoc animali ictus & per morſum ejus veneno infectus fuerit, ſoleat eodem ſono muſico & fidium concentu delectari, quo tarantula delectatur, quæ venenum vulneri infudit, unde fidicines accedunt locum, in quo Tarantula hominem momordit & muſicis inſtrumentis eum ſonum edunt, quo delectatur ægrotus, ut ſic ad ſonum accurens Tarantula interficiatur, & æger ſanetur, nam venenum tamdiu incurabiliter viget in vulnere, quamdiu Tarantula vivit, quâ necatâ per ſe evaneſcit: pari modo inquietum, pedale virus hujus continuo mobilis, ſaltabundi animalis pulicis habet hunc effectum, quod illos, quos per ictum pulicis infecerit, mirum in modum per ſympathiam ſaltabundos, mobiles, & ad geſtus ſaltatorios pronos efficiat, ad morſum enim pulicis erigunt pedes, jactant humeros, agitant & gyrant, totum corpus, non aliter ac ſi choreas ducere

cere vellent, quod effectui Sympathetico morſus pulicei abſcribendum venit. Ita Stapleton de regimine ac Hierarchia pulicum, utrum ſit purè monarchicum ſicut apum ſuum Regem habentium, aut Democratia temperatum quo in puncto hoc ſaltem certum videtur, quod non habeant Monarcham album aculeo carentem, uti communiter perhibetur de apibus. Reinen Weiſel.

Quæſtio XXXI.

Utrum pulices dentes habeant aut ſint potiùs edentuli id eſt ſinè dentibus.

Reſp. De hoc conſuli poterunt ſpermologi illi & clamoroſi moriones, qui nundinas percurſitant, & ingentes quandóque evulſorum dentium zonas de læva in dextram pendulas ſicut Diaconi Stolas circumferunt, utrum etiam pulicibus dentes evulſerint, & pulicoſ dentes ſpectatoribus exponere poſſint. Inter cætera quidem ludibria, quæ puellæ

vindicativæ in pulices conjicere & conglomorare ſolent, etiam minitantur ſe eis dentes confringere velle: ſed vana eſt hæc ſine viribus ira & de ſubjecto non ſupponente, quam meritò ipſimet pulices irridêrent, ſi eſſent animal riſibile, ſicut ſunt animal puellis ſatis ſenſibile, dentes enim pulicei pertinent inter entia rationis fœminea ſicut dentes & cauda Hircocervi, & tam verùm eſt pulices poſſidere dentes, quam verùm illud Coſmographi Flohlandiæ, quod pulices magni Principis mogol canino capite præditi ſint & ungulis ferreis in pedibus clavati incedant. Inter præcipua enim bona pulicum numeratur primò, quod non habeant in pedibus ungulas ferreas ſicut equi ſecus miſeras puellas propter ſuam multitudinem conculcarent & in pulverem comminuerent. Secundò quod careant dentibus ſecus ſuis morſibus facies lævigatas, pollitas puellarum ita fœdarent & Stigmatizarent, ac ſi primò variolis aut mor-

morbilis laboraſſent. Ihre Geſichter wurden von denen Flöh-Biſſen dergeſtalten blattermaßig ausſehen/ als wann man ſie mit Arbeiß bombardiret hätte.

Natura itaque ſinè dentibus roſtro puliceo providit ſubtiliſſimam acum magneticam, quâ per vim occultam aperit poros & ex illis humores ſuperfluos attrahit, undè ſicut magnes & acus magnetica ex ſua natura ſemper tendit & ſe movet verſus meridiem ac polum meridionalem, ita pulices plerumque verſus meridiem ſeu à tempore meridiano & circa illud ſe movere, ſaltare & mordere incipiunt. Ita Balhad Suhites de pulicibus albis molitorum, utrum ſint ejusdem ſpeciei & bonitatis cùm nigris.

Quæſtio XXXII.

Utrum pulices curiales in curiis exiſtentes, pulices Judicum, pulices aſeſſorum curiæ proceſſus & ſententias criminales agitantium

fiant irregulares ex defectu lenitatis ſicut ipſi Judices & aſſeſſores & ſtipendiati miniſtri curiæ.

Reſp. Omninò ſæpiùs pulices curiales evadere irregulares, ſi enim confeſſarius reum educens, quando priùs deſcendit ex curru quam reus condemnatus, aut eum aliquibus greſſibus ad locum ſupplicii præcedit, vel ſcalam patibuli ad aſcendendum teneat, evadit irregularis ex defectu lenitatis, quia quantum ex parte ſua mortem rei condemnati aliqualiter promovet & accelerat, multo magis pulices curiales evadent irregulares, qui mordendo, pungendo acriter Judicem & aſſeſſores cæterósque juſtitiæ miniſtros ſunt ſæpius in cauſa, eósque cogunt & ſtimulant, quod ſententiam mortis ejuſque executionem notabiliter acceleret, ut tantùm Domi vel alibi ſe ab iſtis pulicibus curialibus excutére & expedire poſſint. Neque enim ad irregularitatem ex defectu incurendam requiritur

tur ejus notitia, vel libertas aut liberum delictum, cùm etiam infantes ante uſum rationis poſſint eſſe irregulares ex defectu corporis, ex defectu ætatis &c. ergò etiam pulices. Pediculi tamen multò plures irregularitates habent, ſunt enim irregulares ex defectu corporis propter monſtroſam pedum ſuorum multitudinem. Propter nigras diſcolores ſarcinas dorſis eorum inhærentes, ſunt irregulares ex defectu famæ, quia communiter pro infami inhoneſtò animalculo reputantur. Ex delicto homicidii, quia in morbo pediculari homines vivos commedunt & corrodunt. Ita Schnudipuzius von Knipperdoling de decimis pulicum, utrum Parochiani etiam de ſuis pulicibus parochis decimas ſolvere teneantur, ubi rectè negativam reſolvit, cenſentur enim tacito communi conſenſu Parochorum eis remiſſæ, cùm à nullo unquàm exigantur, & ſic contra eas etiam jam præſcriptum ſit, reſervent

has decimas pulicеas potiùs pro injuſtis & violentis uſurpatoribus decimarum Eccleſiaſticarum.

Quæſtio XXXIII.

Quodnam ex his duobus animalculis pulicibus & pediculis, ſi eſſent ſalutis & prædeſtinationis capacia, priùs & certius ſalvaretur ac plura prædeſtinationis ſigna haberet.

Reſp. Indubitanter ſtandum eſſe pro pulicibus. Tùm quia pulices diligentius & in majori copia frequentant Eccleſias quàm pediculi, adeò quod vix per Scopas, per omnem vim & conatum vetularum illarum vulgo Kirchen-Kehrerin ab illis expelli queant, ad confuſionem & ruborem hominum illorum, qui ſæpè cùm impatientia expectant tempus exeundi ex Eccleſia. Tùm quia inter pulices non dantur ſcelerati antropophagi & homicidæ ſicut inter pediculos, de quibus Act. 12. legitur quod Regem Herodem & in aliis paſſim hiſtoriis, quod alios homines

vivos

vivos consumpserint & occiderint & obinde homicidæ & antropophagi facti sint, nec quidquam auditur de morbo puliceo, sicut de lethali morbo pediculari hominum, sed pulices homines tantùm sanos, non autem tabificos aut tabe infectos amant, & cum superfluis hominis contenti vivant, tamen sæpiùs conquerere coguntur: gustans gustavi paululum mellis & ecce morior. Tùm quia tandem cum pulices non ita citò & in instanti occidantur sicut pediculi deprehensi, sed per diuturnas compressiones, & circumvolutiones inter digitos haberent majus & longius spatium pœnitentiæ & doloris finalis ita Plumpazius de pulicibus in ponte asinino Dialecticorum, utrum demonstrativè aut topicè tantum vel sophisticè mordeant & pungant.

Quæstio XXXIV.

Ob die Schuster-Flöh der Herren Meister und Gesellen gehören in die gemeine Schuster-Lad oder nicht?

Ich Antworte mit Ja. Weilen sie auf gemeine Unkosten des ganzen löblichen Handwercks erhalten werden / indem dero Flöh / wann sie zusammen kommen / von einem zu dem anderen springen / und sich bald bey einem Meister / bald bey einem Gesellen / bald bey diesem / bald bey dem jenen auf die Kost einladen / und also auf allgemeine Unkosten der gantzen versammleten löblichen Schuster-Zunfft zehren / und erhalten werden / daß zu dero Erhaltung alle insgemein contribuiren müssen / dessentwegen die Schuster-Flöh auch ein geschencktes Handwerck haben / wie die Herren Schuster selbsten / ausgenommen / daß sie den gewöhnlichen Handwercks-Gruß oder Spruch wenig achten / sondern sich wohl auch ohne allen vorhero gehenden Gruß einquartiren / sie gehören also in die gemeine Schuster-Lad oder Casam per R. J. qui sentit onus & expensas, sentiat & commodum, quod enim puli-

pulices varias ſecum trahant commoditates, jam oſtenſum fuit in præcedentibus. Ita Lorrechius de pulicibus ſutorum, utrum lautius vivant & pinguioris fortunæ exiſtant quàm pulices ſartorum & videtur omninò affirmandum, pulices enim ſartorum propter tenuitatem & exilitatem ſui victus, nimirum macra & exhauſta ſartorum corpora vix oſſibus hærent & à potiori hectica laborant. Dann es ja freylich ein gantz natürliche Sach iſt / daß die fetten Schuſter-Braten auch fettere vollkomnere Flöh hervor bringen / als die magern / ausgedorten Lufft-Springer und Schneider-Hexen / dann man ſchon auch die gemäſten Indianiſchen / einen gemeinen Schuſter / aber nicht Schneider-Vogel nennet. Petrus Villagagno in reſolutione illius celeberrimæ difficultatis utrum ſartorum aut ſutorum labor ignobilior & magis contemtibilis ſit, & omninò tenendum quod labor ſartorum, dann

der Schuſter Arbeit / nemlich d
Schuh / zieht man zwar im Ko
herum / auf der Schneider Arbe
aber / nemlich auf die Hoſen-Nat
auf das Hoſen-Futter thun die Leu
offtermahls gar ſchmeiſſen / und d
Hindern wiſchen / welches noch ve
ächtlicher. Cùm itaque pulic
pertineant inter res & opes publ
cas communitatum & tribuum
mirum non eſt, quod ſtudioſu
cujusdam univerſitatis juſſus ſcribe
& valvis publicis affigere hanc ſche
dulam.

Profeſſor Philoſophiæ erat non doceb.
propter negotium publicum.

Per errorem ſcripſerit & affixe
rit.

Profeſſor Philoſophiæ erat non docebi
propter negotium pulicum.

Publicum enim & pulicum in lit
teris parùm differunt, in reipſa
con-

conveniunt, cùm pulices ſint quid publicum, ideo huic ſuus error facilius ignoſcendus eſt, quàm illi ordinando, qui interrogatus, quid ſignificet Epiphania Domini, reſpondit eſt nomen proprium ſicut Euphemia und iſt Chriſti des HErrn Säug-Aembl geweſen.

Cæterum ne pulices ſutoribus ſub actuali labore nimiùm moleſti ſint, conſulitur ipſis ex quodam famoſiſſimo Nigromantâ & pulicum incantatore, ut ſuo collo in ſchedula ſcriptam appendant ingenioſam illam deſcriptionem totius laboris ſutorii per figuram Synecdoches ſummendo totum pro parte, quam Dæmon ipſe hoc carmine feciſſe traditur.

Porcus per Taurum, ſequitur veſtigia ferri.

Porcus die Sauborſten/ Taurus die Ochſenhaut/ ferrum die Schuſter-Ahl oder Nadl.

Ita Pamphilus in ſuis meditationibus Quadrageſimalibus von der groſſen Martini oder Märten-Ganß an der 40. hungrige Schneiders-Geſellen gefreſſen haben. Und der zierlichen Leich-Predig / ſo derſelben der Alt-Geſell im Nahmen des gantzen Handwercks gemacht hat.

III. JA-

III.

JACOBI MASENII

VITUPERIUM ET DAMNATIO PULICUM.

Vituperium & damnatio pulicum, priori Tractatui oppoſita.

CUm multa divinitus, Sereniſſimi Principes, à majoribus noſtris inventa, atque inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quàm quod ſummæ nobilitatis, ac ſapientiæ viros rebus præeſſe publicis voluerint, qui nihil vile atque abjectum, nihil iniquum, ac probroſum ſtatuerint, quo vel nominis noſtri dignitas, vel communis æquitas labefactari poſſet. Quæ poſtquam conſidero, atque etiamnum à vobis ſapienter conſervari, fortiterque defendi animadverto, in ſpem maximam venio, nunquam vos pulicum iſtius Patroni, tam importuna oratione, tamque improba laude adductum iri; ut quæ ille ſophi-

phiſtica quadam argutandi ſubtilitate, pro eorum tutela, ac conſervatione adornavit, hæc audienda vobis eſſe, ac ſequenda putetis. Si enim pulicibus impunè fuerit urbes noſtras obſidere, in domos irrumpere, ipſas veſtes, thalamos, & corpora omnium invadere, inquinare, vexare confodere; ſi nemo his obſiſtere, nemo non alere, ac fovere, tam infeſta cunctis animantia cogatur quæ domi nobis, foriſque quies, quis ſomnus laborque inviolatus eſſe poterit? ſin autem illa, quæ cœco pulicum furore, atque inaudita paſſim audacia perpetrantur, hæc vos, ut par eſt, flagitia, juſto mortis ſupplicio in eis vindicanda judicetis, ſpes eſt multorum diligentia, & illorum caſtigandam temeritatem, atque inſaniam, & quietem nobis integram conſervandam eſſe. Quod ut fiat, veſtra benevolentia, atque æquitate, tum ipſa veritate, in luce & conſpectu omnium à me expoſita, impetrandum confido.

Atque

Atque ut in de oratio mea proficiſcatur, unde hæc tota cauſa ducitur: Ferendumne ſcilicet, atque adeò etiam laudandum, in pulicibus ſit, quòd corpora noſtra obſideant, crebrisque hæc morſibus, hauſto illorum ſanguine, perſtringant? libere vereque pronuntio, non modò factum hoc laudem mereri nullam, ſed reprehenſionem omnium, juſtam indignationem, atque ultionem, jure optimo infligendam.

Etenim quis temeritatem illam, proterviam, atque improbitatem digna ſatis verborum gravitate deſcripſerit, quâ ſtimulati inflammatique bruti illi, non pecudes, ſed quod longè abjectius eſt, vermes, hominem ratione prædituin, incurvæ ad terras beſtiolæ, divinæ erectæque ad cœlos imaginis creaturam, laceſſere, atque infeſtare audent? qua jure nullo, nulla reverentia, autoritate nulla, ſumma licentia, deſpectuque tantum facinus, contra viros honeſtate eximios, modeſtia graves, meritis

ritis obſervandos, nec loco, nec ratione, nec conſilio aggrediuntur.

Vos ego, ſi qua tamen vos percellere contumaces poſſim, vos inſanas ac furioſas animantes compello: quæ vos impudentia, quàm intolerabilis petulantia inceſſit; ut non contenti ruſticorum mapaliis, nec pauperum lacernis, aut vetularum togis, in honeſta procerum conſortia, in aulas Principum, in hanc ipſam curiam involetis, hos tales viros, qui non ſolùm conſiliis ſuis, ſed etiam ſpecie ipſa dignitatem Reipubl. ſuſtinent, proterve invadatis, neque in peritis doctrinam, in ſapientibus prudentiam, in modeſtis verecundiam, in pacificis quietem, in delicatis teneritudinem, in heroibus fortitudinem, in Principibus denique nobilitatem atque autoritatem obſervetis. O ſingularem pulicum temeritatem! ô procacitatem nulli amplius honeſto conſortio perferendam! vivunt verò illi, patientiſſimi Principes, & noſtro vivunt, ac volutantur in ſanguine,

ne, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. In lectiſſimum hunc ſenatum veniunt, ad graviſſimorum virorum concilium, ad concilium advolant, non ſenum canitiem, non magiſtratus autoritatem, non horum Principum dignitatem majeſtatémque verentur. Et ſi minus vultum omnium ſubeunt, conſpectum atque ora reformidant, ſuas tamen amant latebras, tenebras ſectantur, moliuntur inſidias, vulnera ac ſanguinem meditantur. Prorumpent aliquando, mihi credite, prorumpent, atque in illos etiam jugulos veſtros niſi vim avertatis, involabunt. Rarò cuiquam diuturnam illi quietem indulgent, nonnunquam illi quidem, aut otiantur, aut interquieſcunt; ſed ut opportunitatem rapinarum diſpiciant, ut ingluviem mora reparent, crapulam edormiſcant, vires roburque ad novam invaſionem exacuant: hæc requies non ad pacem, ſed ad bellum acrius inſtaurandum eſt comparanda. Toleranda

hæc

hæc eſſet illorum inſolentia, ſi ad diſſolutorum tantum adoleſcentum divexandam cutem eſſet deſtinata, quibus pudor non eſt, vellicantes acrius objecta manu ſubmovere, occurrere violentis conatibus, & affrictu aliquo dolorem mitigare; at viros ætate ſapientiaque graves divexare, qui immoto vultu habituque corporis, in aliorum hos morſus conſortio ſuſtinere coguntur; illorum neque verecundiæ neque dignitati parcere hoc demum eſt, quod inter extrema pulicum flagitia deputamus.

Jam ego vos, veſtramque ingenuitatem conſulo, magnanimi Proceres, an hæc diutiùs in his Holandiæ regionibus perferenda exiſtimetis: Germanis certè opprobrio ſumus, qui, ob infamem pulicum frequentiam, hoc primum nomen his terris impoſuiſſe non fruſtra videntur; ut cùm aliæ ferè nationes, aut fortiſſimis heroibus, ut à ſuo Theutate Theutones: aut à pugnacibus animantibus, ut à Gallis Galli; aut à firma-

firmato corporis robore, ut à Saxo Saxones; aut nonnunquam etiam à celerrimis geniis, ut ab Angelis Angli; nos velut à degenerantis naturæ monſtro quod una Germani ſyllaba Flo dicunt (vix aliquo, propter vilitatem, dignati nomine) Flolandi probrosè compellimur. Profectò niſi hujus tam ignominioſi nominis maculam abſtergimus, niſi ſcelerata illa nobisque infeſta pulicum agmina in exilium pontumque Euxinum amandamus, nimium in genus noſtrum crudeles, in illos miſericordes erimus. Si enim Ovidium impuræ tantum voluptatis patrocinium hoc exilio dignum fecit, quantò æquior pœna in pulices, longè illo impudentiores, decernitur?

Hoc verò quale quantumque ſit facinus, quam ab hominis ingenui diſſimulatione alienum, illi obſecro expendant, qui leviſſimas quasque hominis in hominem offenſiones vindicandas cenſent, qui vilis abjectique eſſe animi ducunt, ſi vel contumelio-

melioſum ſibi verbum, ne dicam pugnum, in os impactum ſuſtineant, nec par pari, aut etiam graviori ratione reponant. Sæpe verbo acrius ſtricto rependunt verbera, pugnum pugione refutant, certè ad læſionem, quamvis improviſam, videas expalleſcere, clamores indignatione plenos extollere, quidvis obvium pro telo rapere, furioſè intentare, quandoque etiam in obſtantis caput, aut latus impingere. Tanta eſt in ejusdem ſecum naturæ conſortem, in divinæ imaginis favorisque participem, odiorum vis ac nocendi promptitudo, & in ſpurium illum humani generis abortum, in illud naturæ monſtrum, impuritatis noſtræ excrementum, pulicem; cujus nullum decus, nulla gloria, nulla unquam laus cum virtute conjuncta fuit, juſtiſſimæ ultionis oblivíſcimur? componite obſecro componite pulicem cum homine, videte cui indignemini, cui parcatis. Expendite hujus in fronte honeſtatem, in genis venuſtatem, in

ore

ore pudorem, in vultu majeſtatem, in moribus compoſitionem, in membris formam, in brachiis uſum, in pectore robur, in toto corpore gratiam, & cum illo comparate vermiculo, cui nihil frontis niſi ad impudentiam, nihil oris, niſi ad mordacitatem, nihil oculorum, niſi ad inſidias, nihil penè membrorum, aut corporis, præter ventrem, datum eſt. Poſtremò ingenii virtutisque, quæ in utrisque ſunt, dotes conferte, omnia hominibus nihil pulicibus conceſſum eſſe reperietis. Nam quis in his cerebri, aut rationis quippiam, quis virtutis aliquid deprehendit? niſi ingenium, aut virtus dicenda ſit, noſſe omnes inſidias, atque opportunitatem ad infligenda nobis vulnera, noſtrumque ſanguinem hauriendum deſignare. His igitur talibus, tam ab omni honeſtate, pudore, gratia, ratione, virtute remotis parcere, cùm nec hominibus quidem ignoſcamus, adeò indignum eſt, ut non hominis, ſed brutæ animantis factum debeat exiſtimari. Fe-

